

M G S



AB
8
42 210



Dbl. z. Jan 1803

a. b

dieß Buch. 00 vyl. R
in P. u.

M. Paulus Nietner Stolber,

sensu Hermendörfern.

R
R
R

Augustinus:

Dauid exclamat, peccavi, et mox
audivit, dominus abstulit peccatum
tuum. Tantum valent tres syllabae
Tres syllabae sunt, peccavi. Sed
in his tribus syllabis flamma sacri-
ficij coram deo ascendit in celum.



100
Zu got dem vater.

Ö Herr got, in meiner not, verfiel zu dir
du helfst mir, Mein Leib undt gut, ich
dir erloest, in deine hand, dein engel steh
vor mich bewahr, vom ich für, von dir
wird gar von dir gefalt. Amen.

Zu got dem sohn.

Ö Jeseu Christ gestorben bist, am cruce
stam, du gottes lamb, dein wunden
not, in aller not, dein wunden blut
dem mir zu gut, dein leiden hat mich
auch mich zum leben, in dir ich
dein engel gleich. Amen.

Zu got dem h. geist.

Ö heiliger geist, der tröster geist, du mich
in not, du tröster stundt, verlaß mich
nicht, von mich anfiht, des worts ge
walt, des worts gestalt, auch dir
von weest mir geben, gar d'raige
leben. Amen.

PRECATIONES
EX VETERI-
BUS ORTHODOXIS

DOCTORIBVS:
EX ECCLESIAE HYMNIS
ET CANTICIS:
EX PSALMIS DENIQ; DA-
VIDIS COLLECTÆ:

Et nunc recens recognitæ & auctæ,
per

Andream Musculum D.



LIPSIAE A. N. M. D. LXXV.

*Diese Ausgabe ist eine Titularausgabe von 1573.
Jahres Universitätsbibliothek. Th. XXXVIII, o. 206.*

PRÆCATIONES
EX VETRI-
BUS ORTHODOXIS
DOCTORIBUS
ET COLLEGII HUMANIS
ET CANONICIS
EX SAEULI MISERERENTIA DA-
VIDIS COLLEGIUM



L 2, 2331



TABVLA LITERARVM

DOMINICALIVM.

A g f d c b **A** f e d c **A** g f
 e g b

e c b **A** g e d c b g f e d b
d f **A** c

IN tabula hac literam Dominicalem sic inuenies: primam literam, quæ est g tribue anno 1570. sequentem, quæ est f, tribue anno 1571. Sicque deinceps progredere, quousque peruenias ad literam, super quam cadit numerus illius anni, quæ erit litera dominicalis. Quæ si vnica fit, annus communis erit: si duplex, bissextilis. Et tunc prior, id est superior, vsque ad 24. Febr. deseruiet: inferior autem ad reliquam anni partem accommodabitur. Sciendum autem, quod finitis 28. annis, redeundum est ad principium, cum annis tunc concurrentibus.

AUREVS NUMERVS.

XIII. XIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. I. II. III.
III. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII.

SIMILIMODO, vt dictum est, de litera dominicali, deprehendes aureum numerum, in supra scripta numerorum serie. Nam primum numerum, qui est XIII. tribue anno 1570. Sequentem, qui est XIII. tribue anno 1571. & sic deinceps, donec ad annum tuum peruenias. Finitis 19. annis, regredere iterum ad principium.

Seruè autem sequens Calendarium nostræ regionis, quantum ad Solis ortum & occasum attinet. Est enim accommodatum ad elevationem 52. graduum.

A 2

Poto.

*Carnes torreo Ianus en trementes,
Et letus comedo biboq, ad ignem.*

Ianuarus habet dies XXXI.

Luna vero habet XXX.

*Cisio, Ianus, Epi, sibi vendicat, Oc,
Feli, Marc, An.*

*Prisca, Fab, Hag, Vincenti, Paulus,
nobile Lumen.*

	A	Calendæ. Circumcisio Domini.	1
8	B	4 Octava sancti Stephani.	2
16	C	3 Ortus Solis 8.	3
	D	Pridie. Occasus. 4.	4
5	E	Nonæ. Simeonis confessoris	5
	F	8 Epiphania Domini.	6
14	G	7 Iuliani martyris	7
	A	6 Rigoberti Episcopi	8
2	B	5 Martianæ virginis	9
10	C	4 Pauli pri. ere.	10
17	D	3 Igeinei mart. Sol in aqua.	11
	E	Pridie. Satyri martyris	12
7	F	Idus. Hilarij Episcopi.	13
15	G	19 Calen. Feb. Felicis pres.	14
	A	18 Mauri. abbatis.	15
4	B	17 Marcelli Papæ & mar.	16

	C	16	Antonij Abbatis	17
12	D	15	Priscæ virginis & mart.	18
	E	14	Marij cum so. marty.	19
1	F	13	Fabiani & Sebastiani	20
9	G	12	Hagnetis virginis	21
17	A	11	Vincentij martyris	22
	B	10	Emerentianæ virginis	23
6	C	9	Timothei discip. Pauli	24
	D	8	Conuersion. Pauli	25
14	E	7	Polycarpi martyris	26
	F	6	Iuliani Episcopi	27
3	G	5	Agnētis secundo	28
11	A	4	Valerij Episcopi	29
19	B	3	Batildis reginæ	30
	C		Pridie. Cyrici, & Ioan. mar.	31

Circumcisio Magos mittit

Ad Christi cunabula:

Antonio Agnes subit,

Paulus fidem suscipit.

A 3

Ligna cremo.

*Incido glaciem Februs securi
Nec non mitia culta stercorizo.*

Februar. habet dies XXVIII.

Luna vero XXIIX.

**Cum autem Bissextus fuerit,
habet dies XXIX.**

Luna vero XXX.

Brig, Purg, Basil, Ag, Dor, Febru,
Ap, Scholastica, Valent.

**Iuli, coniunge tunc Petrum, Matthiam
inde.**

8	D	Calendæ. Brigittæ.	I
16	E 4	Purification. beatæ Mariæ	2
	F 3	Basilij episc.	3
5	G	Pridie. Gilberti confessoris	4
	A	Nonæ. Agathæ virgi. & marty.	5
13	B 8	Dorotheæ virginis	6
2	C 7	Moyseti episcopi	7
10	D 6	Salomonis martyris	8
	E 5	Apolloniæ. Sol in Pisc.	9
18	F 4	Scholasticæ virginis	10
	G 3	Ortus Solis. 7.	11
7	A	Pridie. Occasus. 5.	12
	B	Idus. Fuscæ virg. & mar.	13

15	C	16	Calen. Mar. Valent. mart.	14
4	D	15	Faustini episcopi	15
12	E	14	Iulianæ virginis	16
I	F	13	Constantiæ virginis	17
	G	12	Simeonis mar. epis. Hier.	18
9	A	11	Sabini presbyteri	19
	B	10	Galli presby. & confes.	20
17	C	9	LXXIX. Martyrum	21
	D	8	Cathedra sancti Petri	22
6	E	7	Sereni.	23
14	F	6	Matthiæ apost. Loc. bissel.	24
	G	5	Alexandrini episcopi	25
3	A	4	Victoris & so. mar.	26
11	B	3	Leandri episcopi	27
19	C		Pridie. Romani abbatis.	28

Se purgat nunc Agatha,
Nunc nudus prodibit Va-
lens,
Qui ver nuntiabit Petro,
Matthiæ sortem.

A 4

De vite superflua demo.

*En sum Martius qui puto gementes
Vites, nec minus arbores comosas.*

Martius habet dies XXXI.

Luna vero habet XXX.

**Martius, Adria, Per, decoratur Gre-
gorio, Cyr.**

**Gerdrud, Alba, Bene, iuncta Maria ge-
nitrice.**

8	D	Calendæ. Albini epis. & confes.	1
	E	6 Nicetij Episcopi	2
	F	5 Maximi martyris	3
16	G	4 Adriani martyris	4
5	A	3 Focæ martyris	5
	B	Pridie. Victoris martyris	6
14	C	Nonæ. Perpetuæ & Felicitat.	7
2	D	8 Apollonij martyris	8
	E	7 Quadraginta martyr.	9
10	F	6 Vgi archiepiscopi	10
	G	5 Sol. 40. Mar.	11
18	A	4 Gregorij Pap. Solin Aric.	12
7	B	3 Æquinoctium vernum.	13
	C	Pridie. Solis ortus. 6.	14
15	D	Idus. Occasus 6.	15
4	E	17 Calen. April. Cyriaci	16

12	F	16	Gerdrudis virg.	17
	G	15	Anselmi episcopi	18
I	A	14	Albani episcopi	19
9	B	13	Guberti confessoris	20
	C	12	Benedicti abbatis	21
17	D	11	Pauli episcopi Narbo.	22
	E	10	Pigmeni episc. & mar.	23
6	F	9	Theodori presbyteri	24
	G	8	<i>Annuntiationis Mariæ</i>	25
14	A	7	Castorij martyris	26
3	B	6	Ruperti episcopi	27
	C	5	Grondani	28
11	D	4	Quintini martyris	29
19	E	3	Secundi martyris	30
	F		<i>Pridie. Sabinæ virginis</i>	31

Martius Adriano narrat
Atque Gregorio,
Quod Gertrudis & Bene-
dictus

Annuntiant virgini.

A

Do germen gratum.

*Aprilis patula nucis sub umbra
Post conuiuia, dormio libenter.*

Aprilis habet dies XXX.

Luna vero XXIX.

April, in Ambrosij festis ouat atque
Tiburti.

**Et, Valer, sanctiq, Georg, Marcique
Vitalis.**

	G	Calen.	Theodoræ virg. & mart.	1
16	A	4	Mariæ Ægyptiacæ	2
	B	3	Pancratij martyris	3
5	C	Pridie.	Ambrosij episcopi	4
13	D	Nonæ.	Vincentij confessoris	5
	E	8	Cœlestini Papæ	6
2	F	7	Alexandri martyris	7
10	G	6	Dionysij episcopi	8
	A	5	Prochori martyris	9
18	B	4	Appollonij presbyteri	10
	C	3	Sol in Tauro. Ortus Solis.	11
7	D	Pridie.	Occasus 7.	12
15	E	Idus.	Euphemie virginis	13
4	F	18	Calen. Maij. Tybur. mar.	14
	G	17	Helene	15
12	A	16	Isidori martyris	16

I	B	15	Aniceti Papæ	17
	C	14	Valerij	18
9	D	13	Crescentij	19
	E	12	Sulpitij & Seruiliæ	20
17	F	11	Simeonis episcopi	21
	G	10	Soteris Papæ	22
6	A	9	S. Georgij	23
14	B	8	Gregorij episcopi	24
	C	7	Marci euangelistæ	25
3	D	6	Marcellini martyris	26
11	E	5	Anastasij Papæ	27
19	F	4	Vitalis martyris	28
	G	3	Petri martyris	29
8	A		Pridie. Eutropij Epif. & mar.	30

*Aprilis Ambrosio gaudet,
 Cui martyr Tiburtius
 Predicit mox futuram
 Marci stationem.*

10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17

Mihi flos seruit.

*Maius nunc equito per arua latus
Atq; hac gloriol aucupatione.*

Maius habet dies XXXI.

Luna vero habet XXX.

**Philip, Crux, Flor, Goth, Iohan, latin,
Epi, Ne, Ser, & Soph.**

*Maius in hac serie tenet Vrban in pe-
de Cris, Can.*

	B	Calendæ. Philip. & Iac. Apost.	I
16	C	6 Sigismundi regis	2
5	D	5 Inuention. sanctæ Crucis	3
	E	4 Floriani martyris	4
13	F	3 Gotardi episcopi.	5
2	G	Pridie. Ioan. ante portam Lati.	6
	A	Nonæ. Cleti Papæ & mar.	7
10	B	8 Apparition. sancti Michaël.	8
	C	7 Translatio sancti Nicolai	9
18	D	6 Epim. & Gordiani.	10
	E	5 Mamerti & Maioli	11
7	F	4 Nerei & Achil. Sol in Gemi.	12
15	G	3 Seruatij.	13
4	A	Pridie. Bonifacij Papæ.	14
12	B	Idus. Sophi martyris	15
	C	17 Calend, Iunij. Hono. epis.	16

I	D	16	Torpetæ martyris	17
	E	15	Felicis episcopi	18
9	F	14	<i>Solis ortus. 4.</i>	19
	G	13	<i>Occasus. 8.</i>	20
17	A	12	Valentis episcopi	21
6	B	11	Helenæ reginæ	22
	C	10	Desiderij episc. & mar.	23
14	D	9	Donatiani & Roga.	24
3	E	8	Vrbani Papæ & mar.	25
11	F	7	Eleutherij martyris	26
	G	6	Ioannis Papæ & mar.	27
19	A	5	Germani episc. Paris.	28
7	B	4	Maximi episcopi	29
	C	3	Felicis Papæ & mar.	30
16	D		<i>Pridie.</i> Petronellæ virginis.	31

Iacobus Crucem inuenit,
Obtruncatur Pancratius,
Iucundum Ver iam prate-
rijs,
Urbano redit Æstas.

Mihi pratum.

*Aestiuo meto Iunius calore,
Has letas segetes diu cupitas.*

Iunius habet dies XXX.

Luna vero XXIIX.

Nic, *Marcelle, Boni, dat, Iun, Primi,
Ba, Cyrini.*

Vitiq, *Mar, Protus, Al, Sancti Iohan,
Io, Dor, Le, Pe, Pau.*

	E	Calendæ.	Nicomedis martyr.	1
5	F	4	Marcel. & Eras. mart.	2
13	G	3	Pergentini martyris	3
2	A	Pridie.	Quirini epis. & mar.	4
5	B	Nonæ.	Bonifacij episc. & mar.	5
10	C	8	Claudij epis. & confes.	6
	D	7	Pauli epis. Constantinop.	7
18	E	6	Medardi & Gild. confes.	8
7	F	5	Primi & Felician. mar.	9
	G	4	Ortus Solis ante 4.	10
15	A	3	Barnabæ Apostoli	11
4	B	Pridie.	Cyri. Nab.	12
12	C	Idus.	Sol in Cancro.	13
	D	18	Calen. Iulij. Solstiti. æstiuū	14
I	E	17	Viti & Modesti	15
	F	16	Cirici & Iulitæ mar.	16

9	G	15	Auiti abbatis	17
	A	14	Marcelliani martyr.	18
17	B	13	Geruasij & Porthasij	19
	C	12	Syluerij Papæ & mar.	20
6	D	11	Albani	21
14	E	10	Paulini epis. & confes.	22
3	F	9	Achatij	23
	G	8	Natiuitatis Ioan. Bapt.	24
11	A	7	Amandi episcopi	25
19	B	6	Ioannis & Pauli mar.	26
	C	5	Dormientium. 7.	27
8	D	4	Leonis Papæ.	28
	E	3	Petri & Pauli apost.	29
16	F		Pridie. Comme. sancti Pauli	30

Nicomedes Bonifacio

Fœnum reportat:

Vitus Segetem mox promittit

Baptista atque Petro.

Spicas declino.

Granum Iulius aridis flagello
E spicis quatio coquente sole.

Iulius habet dies XXXI.

Luna vero XXX.

*Iul, Vist, Huldreich, oc, Bil, Chili, Fra,
Bene, Margar, Apost, Al.*

*Arnolphus, Prax, Mag, Ap, Chris,
Iacobiq, Sim, Abdon.*

5	G	Calendæ. Octa. S. Ioan. Bapti.	I
13	A	6 Visitatio beatæ Mariæ	2
	B	5	3
2	C	4 Huldrichi Episcopi	4
10	D	3 Domitij martyris	5
18	E	Pridie. Caniculares.	6
	F	Nonæ. Bilboldi Episcopi.	7
7	G	8 Chilian Episcopi.	8
	A	7 Ortus Solis. 4.	9
15	B	6 Occalus. 8.	10
4	C	5 Pij Papæ & martyris	11
	D	4 Naboris & Felicis	12
12	E	3 Margarethæ.	13
	F	Pridie. Herac. epis. Sol in Leo.	14
I	G	Idus. Apostolor. diuis.	15
	A	17 Calen. Aug. Eustachij	16

9	B	16	Alexij confessoris	17
	C	15	Arnolphi episcopi	18
17	D	14	Ruffinæ	19
6	E	13	Margaretæ virginis	20
14	F	12	Braxedis	21
	G	11	Mariæ Magdalenæ	22
3	A	10	Appollinaris martyr.	23
11	B	9	Christinæ virginis	24
	C	8	Iaco. Apo. Christomar.	25
19	D	7	Annæ matris Mariæ	26
8	E	6	Caroli	27
	F	5	Nazarij & Celsi	28
16	G	4	Marthæ virginis	29
5	A	3	Abdon. & Senen.	30
	B		Pridie. Faustini confessoris	31

*Jam Maria affert messem,
Cyrillus metet,
Ut Cererem in horrea
Magdala Jacobusq; re-
portent.*

B

Spicas declino.

Augustus vegetos cados coacto
Quam possum bene circulis papyro.

Augustus habet dies **X X X I.**

Luna vero **X X X.**

Pe, Steph, Steph, Prothus, Six, Don,
Cyr, Ro, Lau, Tybur, Hyp, Eus.
Suntio, Agapiti, Timo, Bartholo,
Ruff, Aug, Col, Aucti.

13	C	Calendæ. Vincula S. Petri	1
2	D	4 Stephani Papæ	2
	E	3 Inuentio sancti Stephani	3
10	F	Pridie. Iustini presbyt eri	4
	G	Nonæ. Osualdi regis	5
18	A	8 Sixti martyris	6
7	B	7 Donati martyris	7
15	C	6 Cyriaci & sociorum eius	8
	D	5 Romani mar.	9
4	E	4 Laurentij martyris	10
12	F	3 Tiburtij & Susannæ	11
	G	Pridie. Claræ virginis	12
1	A	Idus. Hyppol. Ortus Solis 5.	13
	B	19 Cal. Sep. Occasus. 7.	14
9	C	18 Assum. Ma. virg. Sol in Vir	15
	D	17 Leonis martyris	16

17	E	16	Octaua sancti Laurentij	17
6	F	15	Agapiti martyris	18
	G	14	Magni episcopi	19
14	A	13	Bernardi abbatis	20
3	B	12	Anastasij martyris	21
	C	11	Timoth. & Simph.	22
11	D	10	Timo. & Apol.	23
19	E	9	Bartholomæi apostoli	24
8	F	8	Ludouici regis	25
16	G	7	Seuerini Papæ	26
	A	6	Rufini & Gebhardi	27
5	B	5	Augustini episcopi	28
	C	4	Decol. Ioan. Baptistæ	29
13	D	3	Felicis & Adau.	30
	E		Pridie. Felicis confes.	31

Petrus catenis stringitur,
Dum Laurentius & Ma-
ria

Ad cælos vocant
Cum Bartholomæo Ioannem.

B 2

Semen humi iacto.

*Nigris impleo dolium racemis
September, bepe vina concoquantur.*

September habet dies XXX.

Luna vero XXIIX.

*Egidium, Sep habet, Nat, Gorgon,
Protiq, Crux, Nic.*

*Euph, Lampertiq, Matth, Mauricius,
& Da, Vuen, Mich, Hier.*

z	F	Calendæ.	Egidij abbatis	1
	G	4	Antonini martyris	2
10	A	3	Lupi episcopi	3
18	B	Pridie.	Moyfi confessoris	4
7	C	Nonæ.	Victorini martyris	5
	D	8	Zachariæ prophetæ	6
15	E	7	Clodoaldi confessoris	7
4	F	6	Natiuitat. Mariæ virginis	8
12	G	5	Gorgonij martyris	9
	A	4	Nicolai Tolentini	10
1	B	3	Proti & Hyacin.	11
	C	Pridie. Equinoctiū autumnale		12
9	D	Idus. Solis Ortus 6.		13
	E	18	Cal. Octo. Exal cru. Occ. 6.	14
1	F	17	Nicom. Sol in Libra.	15
	G	16	Euphemie martyris	16

14	A	15	Lamperti epif. & mar.	17
	B	14	Victoris & Coro.	18
3	C	13	Ianuari epif. & mar.	19
11	D	12	Eustachij mar.	20
	E	11	Matthæi Apostoli	21
19	F	10	Mauricij cum socijs	22
8	G	9	Teclæ virginis	23
	A	8	Ando. Tit. & Fe. mar.	24
16	B	7	Cleophæ de 72.	25
5	C	6	Cypriani & Iusti.	26
	D	5	Cosmæ & Damiani.	27
13	E	4	VVenceslai	28
	F	3	Michaelis archangeli	29
	G		Pridie. Hieronymi doct.	30

Egidi letus gaude,

Maria nata est.

Crucem exaltant cuncti,

*Matthæo volat obuius Mi
chael.*

B 3

Vina propino:

October boue semino iuuante,
Vt tellus ferat omnibus legumen.

October habet dies **XXXI.**

Luna vero **XXX.**

Remigij, Franciscus, Marcus, Di, Ger,
Artiq, Calix.

Galli, Lucas, vel Vnd, Se, Seue, Chri-
spini, Simonis, Quin.

2	A	Calendæ. Remigij epif. & conf.	1
	B	6 Leodegarij episcopi	2
10	C	5 Candidi martyris	3
18	D	4 Francisci confessoris	4
	E	3 Placidi cum so. marty.	5
7	F	Pridie. Fidis virgi. & mar.	6
15	G	Nonæ. Iustinæ virginis	7
4	A	8 Sacra sancti Marci	8
12	B	7 Dionisij & soc. eius	9
	C	6 Gereonis & soc.	10
1	D	5 Charitatis	11
	E	4 Burckardi	12
9	F	3 Geraldi confessoris	13
17	G	Pridie. Calixti Papæ	14
	A	Idus. Ortus Solis. 7. Occas. 5.	15
6	B	17 Cal. No. Gall. Sol in Scorp.	16

	C	16	Cerbonij episcopi	17
8	D	15	Lucæ euangelistæ	18
	E	14	Sauiniani & Poten.	19
4	F	13	Caprasij marty.	20
15	G	12	Vrsulæ cum sodal.	21
19	A	11	Seueri episcopi	22
	B	10	Seuerini episcopi	23
8	C	9	Maglorij episcopi	24
16	D	8	Crispi, & Crispini	25
	E	7	Euaristi Pa. & marty.	26
5	F	6	Geltru. virg.	27
13	G	5	Simonis & Iudæ Apo.	28
	A	4	Zenobij presbyteri	29
	B	3	Bernardi episcopi	30
2	C		Pridie. Quintini mar.	31

*Remigi Franciscum mone
Prouideat dura hyemi.*

*Lucas iam pluit, Severinus
flat,*

Simon gelat.

B 4

Mihi pasco fues.

*Pingues ditibus anseres Nouember
Vendo, & ligna seco fauente luna.*

Nouember habet dies XXX.

Luna vero XXIIX.

Omne, Nouember, Leon, Qua, Theo,
Martin, Britijq.

Post hac, Elisa, Ce, Cle, Cris, Katheri-
na, Sat, An.

10	D	Calendæ. Omnium Sanct.	1
18	E	4 Commemo. defunct.	2
7	F	3 Marcelli episcopi	3
	G	Pridie. Vital. & Agri. mar.	4
15	A	Nonæ. Zach. patris Ioan. Bapt.	5
4	B	8 Leonardi confessoris	6
	C	7 Herculani episcopi	7
	D	6 Quatuor corona.	8
	E	5 Maturini confessoris	9
	F	4 Martini & Vera.	10
	G	3 Martini episcopi	11
9	A	Pridie. Martini Pap. & mar.	12
17	B	Idus. Brieti epis. Sol in Sagit.	13
	C	18 Cal. Dec. Io. epis. & confes.	14
6	D	17 Eugenij martyris	15
	E	19 Eucharij episcopi	16

14	F	15	Ortus Solis. 8.	17
3	G	14	Occasus 4.	18
	A	13	Elizabeth viduæ	19
11	B	12	Edmun. reg. & mag.	20
16	C	11	Præsentation. virginis	21
8	D	10	Cæciliæ virginis	22
	E	9	Clementis Papæ	23
16	F	8	Crisogoni martyris	24
5	G	7	Katharinæ virginis	25
	A	6	Genoue. de mirac.	26
13	B	5	Agricolæ & Vi. mart.	27
	C	4	Prosperi episcopi	28
2	D	3	Saturini mar.	29
10	E		Pridie. Andreæ Apostoli	30

*Omnes sancti exultate,
Adest **Martinus** musto
madidus,
Elizabeth profert
Cathara amphor. **An.***

B 5



Mihi mactō.

*Letus viuere nunc volo December,
Occido quoniam suem triumphans.*

December habet dies XXXI.

Luna vero XXX.

**December, Barba, Nicolaus, & alma
Lucia.**

*Sanctus abinde Thomas, modo Nat,
Steph, Io, Pu, Thoma, Syl.*

	F		Calendæ.	Eligij episco. & conf.	I
18	G	4		Valeriæ virg. & mar.	2
7	A	3		Cassiani martyris	3
	B		Pridie.	Barbaræ virginis	4
15	C		Nonæ.	Sabæ abbatis	5
4	D	8		Nicolai epis. & confes.	6
	E	7		Faræ virginis	7
12	F	6		Conception. Mariæ virg.	8
	G	5		Prouili episcopi	9
I	A	4		Nicasij cum soc. mar.	10
9	B	3		Damasi Pa. & confes.	11
	C		Pridie.	Vale. ab. Solin Capr.	12
17	D		Idus.	Luciæ virg. & mar.	13
6	E	19	Cal. Ian.	Nicasij epis. mar.	14
	F	18		Valeriani episcopi	15
14	G	17		Melerij episcopi	16

	A	16	Lazari resuscitati	17
3	B	15	Antonillæ virginis	18
11	C	14	Clementis Pa. & conf.	19
19	D	13	Domitiani	20
	E	12	Thomæ apostoli	21
8	F	11	Theodosiæ virginis	22
16	G	10	Seruuli confessoris	23
	A	9	Adami Eux.	24
5	B	8	Natiuitas Domini	25
	C	7	Stephani protom.	26
13	D	6	Ioan. apost. & Euangel.	27
	E	5	Puerorum Innocen.	28
2	F	4	Thomæ Episc. & mar.	29
10	G	3	Sabini episc. & marty.	30
18	A		Pridie. Siluestri Papæ	31

*Jam vellit Barbam Niclas,
Concipit virgo, Lucia oculos
cæcat,*

Thomas credit,

Nascitur mundo Deus.

De Anno & partibus eius.

Annus menses habet duodecim, Hebdomas duas & quinquaginta, & diem vnum. Dies verò trecentos sexaginta quinque, & sex horas.

L XV, tria C. sex horas continet annus,
Hæ bissextilem dant quarto quolibet anno.

Ex quot diebus constet unus- quisque mensis.

April terdenos, Iun, Septemberg, Nouember,
Vno plus reliqui, viginti Februus octo.
At si bissextus fuerit, superadditur vnus,
Mat Mat dicatur, sed festum non variatur.

De anno Bissextili.

Annus bissextilis dicitur, in quo dies vnus intercalatur, hoc est, inseritur, ante festum Matthiæ. 6. Calend. Martij.
Bissextum sexta Martis tenuere Calenda,
Posteriore die celebrantur festa Matthiæ.

De nu-

*De numero Calendarum
Nonarum ac Iduum in sin-
gulis mensibus.*

Prima dies mensis cuiusq, est dicta Calende,
Sex nonas Maius, October, Iulius & Mars,
Quattuor at reliqui, dabit Idus quilibet octo,
Inde dies alias omnes dic esse Calendas,
Quas retro numerans dices à mense sequente.

De 4. anni temporib.

Dat Clemens hyemem, dat Petrus Ver cathe-
dratus,
A Estuat Urbanus, autumnat Symphorianus.

Manilius.

A Estas à Geminis, Autumnus Virgine surgit,
Bruma sagittifero, Ver piscibus incipit esse.

*De Aequinoctijs Anni
& Solstitijs.*

Lampert, Gregori, nox est equata diei,
Vitus, Lucia, sunt duo Solstitia.

Jeiu-

Jeiunia quatuor tempo- rum Anni.

Post Crux, post Cineres, post Spiritus atque Lu-
cia.

Sit tibi in Angaria quarta sequens feria.

De Festis immobilibus.

Sex sunt ad Puri, bis sex sunt vsq^z Philippi,
Ad Iacobum totidem, nouem sunt ad Michaële,
Sex ad Martini, sex ad natalia Christi,
Adde dies octo, totus complebitur annus.

Qualitates quatuor parti- um Anni.

Aestas sicca calens, Autumnus siccus & algens.
Friget & humet Hyems, calidum Ver sitit hu-
mensque.

De tempestatibus.

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni:
Si fuerint venti designant praelia genti:

Si fu-

*Si fuerint nebulae pereunt animalia quaeque:
Si nix, aut pluuia, designat tempora cara.*

De praesagijs Lunae.

Pallida Luna pluit: rubicunda flat: alba serenat.

Basilius.

Luna si tertio die post coniunctionem tenui puraque luce fulserit, stabilem serenitatem spondet: Sin autem nigra fuerit, pluuias portendere creditur:

*At si virgineum suffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento semper rubet aurea Phoebe.*

Et sic videtur quod in his diebus
et in his diebus, de signis temporis etc.

De signis temporis

Et sic videtur quod in his diebus
et in his diebus, de signis temporis etc.

De signis

Et sic videtur quod in his diebus
et in his diebus, de signis temporis etc.
Et sic videtur quod in his diebus
et in his diebus, de signis temporis etc.
Et sic videtur quod in his diebus
et in his diebus, de signis temporis etc.



CLARISSIMIS
ET EXCELLENTISSI-
MIS VIRIS, DOMINIS DO-
ctoribus, Ludolpho Schradero Ordinario,
Iacobo Iokisso, Henrico Paxmano, Ca-
sparo Hofmāno, professoribus Academiae
Francofordianae, suis amicis &
collegis charissimis,

S. D.

SCRIBIT LACTANTIVS,
Trismegistū affirmasse, dæmonas
esse inimicos & vexatores hominum,
eosq; propterea *ἀγέλους πονηροῦς* appel-
lasse. Et ipse DOMINVS ac salua-
tor noster IESVS CHRISTVS,
diabolum aliquoties *πονηρὸν* nominat,
quod sit author, fabricator, & machi-
nator omnis mali. Atq; iccirco suos
iubet esse prudentes, & cauta solici-
tudine vigilare indefinēter, & orare,
ne aduersarius ille *πονηρὸς*, semper vi-
gilans, semper insidias tendens, ipsos
dormientes & stertentes opprimat,
occidat, perdat. Non enim hic ipse
πονηρὸς quærit gentiles, vt Augustini
C verbis

P R A E F A T I O.

verbis vtar, non Iudæos, aut malæ vitæ quosuis homines, sed D E I filios, & C H R I S T I seruos. Hos si offendit imparatos, non vigilantes, nec orantes, circumuenit nescios, tollit incautos, decipit imperitos.

E S T autem hæc Sathanaë inimicitia, malitia, & tyrannis in sanctos & electos, sanguine filij D E I ex ipsius regno liberatos & redemptos, scriptura teste, eò maior, atrocior, ac crudelior, quo propius adest magnus ille dies venturi iudicis, D E I & M A R I A E filij, quo omnino ipsius regnum, potentia, principatus, dominationes, ac spirituales astutiæ abolebuntur, ipso præcipitato & coniecto, iuxta vaticinium Apocalyps. in stagnum ignis & sulphuris. Quo enim callidus iste & astutus hostis minus temporis sibi reliquum esse videt ad eripiendū filio D E I, & trahendum secum in æternum exitium quàm plurimos, eò feruentiori studio, contentione, atq; rabie id efficere molitur. Itaq; si vnquam

P R A E F A T I O.

quam fuit opus vigilijs, orationibus, alijsq; armis, quibus hostis ille depellitur, his certè temporibus opus est, quib. horis, imo momentis singulis, aduētus filij D E I ad iudicium, iuxta prophetarum oracula, atq; ipsius τοῦ σωτῆρος τοῦ κβσμου vaticinia & prædictiones, expectandus est. Quæ tempora filius D E I tam periculosa fore prædixit, vt nisi abbreviarentur, non fieret salua omnis caro, atq; in errorē etiam, si fieri posset, electi inducerentur.

M A N D A T etiam filius D E I, in extremis temporibus per vocem Euangelij ad communionem sanctorum vocatis & congregatis, vt propter multitudinē præsentium & imminentiū grauissimorum malorū, quorum respectu, omnium retrò seculorū calamitates, ludum iocumq; fuisse rectè quis dixerit, semper vigilent, deprecantes, vt possint effugere futura mala.

H o c huius summi Ecclesiæ doctoris exemplum secutus D. Paulus,

C 2 Eccle-



P R A E F A T I O.

Ecclesias sua ætate, prædicatione verbi plantatas & ædificatas, *παρακαλῆι, πρῶτον πάντων ποιείων δεισῆς, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας.* Cuius imitatores quemadmodum ipse est CHRISTI, uti alijs in rebus, ita in hac quoque sint omnes pij verbi ministri, & auditores suos sedulo adhortentur ad vigilandum, & precandum, & quidem tanto diligentius, quanto in Ecclesijs iam iam collapsuri mundi, extremi & ultimi, in quarum oppressione, ultima & extrema Sathan tentat, & maiora pericula, atque mala imminent, imo præ foribus sunt, & cervicibus nostris impendent, & preces ardentiores requiruntur, & vera etiam magis charitas refrigescit, iniquitas abundat, fides evanescit, omnis inuocationis cultus extinguitur, turpiterque arma eius projiciuntur.

ENIMVERO calamitates & pericula, horum senescentis & ruinam minitantis mundi temporum, omnibus in conspectu sunt, & ob oculos versantur.

P R A E F A T I O.

fantur. Quis enim non videt Hæreticorum & fanaticorum impia & blasphema dogmata maiora subinde sumere incrementa, doctrinæ fidei puritatem magis magisque obscurari, ac tenebris inuolui, in politijs & œconomijs maximas passim esse confusiones? Conqueruntur etiam vniuersi & singuli de his malis, & in dies singulos crescere fatentur. Addūt & hoc, tam malo res omnes esse loco, vt peiore esse nequeant. Sed fontem harum calamitatum nemo videt, aut certe videre vult. Is est precum omisio, & cultus inuocationis neglectio, qui nisi rursus accendatur, & ardori suo restituatur, non est quod quicquam salui in Ecclesia, politijs & œconomijs nobis polliceamur, sed statuamus potius mox venturā afflictionem illam, postquam sol obscurabitur, luna non dabit lumen suū, & terra miscebitur incendio, venietq; dies, vt verbis Sophoniæ vtar, calamitatis & miseræ, dies tenebrarum & caligi-

P R A E F A T I O .

nis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.

Q V A E mala vt euitemus sequamur exemplum veteris Ecclesiæ, & eius consuetudine, pijs precibus DEVM flectamus, vt calamitates præsentis & futuras vel tollat vel mitiget. Illa enim, sanctiq; eius ciues ardenti spiritu precum, mala tum imminetia tum prementia à ceruicibus suis depulerunt, nunquam non victores euaserunt, omnibus hostibus, solis orationis armis prostratis. Id quod multa sacra tam exempla seu facta, quam dicta testantur, quorum aliqua ascribere consilium est: Cyprianus ait: Incumbamus gemitibus assiduis, & deprecationibus crebris. Hæc sunt enim nobis arma cœlestia, quæ stare & perseuerare fortiter faciunt: Hæc sunt munimenta spiritualia & tela diuina quæ protegunt. Origenes dicit: Non iaculis ferreis victoria quaeritur, sed orationū telis. Item: Multo plus valet vnus sanctus orando, quam

P R A E F A T I O .

quam peccatores innumeri prælian-
do. Chrysoftomus inquit: Quis iusto-
rum orando non pugnavit? Quis
hostem orando non devicit? Multis
sanctis datū fuit, deprecationis præsi-
dio servare, non solū gentes ac ciuita-
tes, verum etiam urbem vniuersam.
Paulus vi precum per totum orbem
terrarum, velut alatus discurrens, in
carcerib. habitans, flagella sustinens,
gestans catenam, viuens in sanguine
ac periculis, solis precibus cōmuni-
uit orbem. Et Moises arma tradendo
discipulo, & deprecationem oppo-
nendo hostium multitudini seruauit
populum Israëliticum in bellis. Mose
quoq; orante, vt Chysoftomi verbis
vtar, fit victoria, cessāte mœstitia, po-
tentior hostis efficitur, iusti corpore
defatigato desinit Israël vincere, Mo-
se desistente in prece.

H A E C dicta, & exempla sacra
nos moueant, vt magis assidui & ar-
dētiores in precando simus: q̄ si faci-
emus, minus efficax & potens erit πα-



P R A E F A T I O.

υπερ iste, qui nunc cum omnibus suis
 principatibus, potestatibus, mundi
 dominis, & rectoribus tenebrarum,
 in extremo seculo extrema molitur &
 tentat. Atque implebitur in hac quoque
 senectate Ecclesiae, quod de Mose scrip-
 tum est, cum eleuaret manus vinceba-
 tur Amelech, cum vero velut lassas deij-
 ceret, & brachia infirma deponeret,
 inualescebat Amelech. Eleuemus er-
 go & nos in oratione brachia, eleue-
 mus sanctas manus, ut domini praes-
 ens habeamus auxilium, hisce exul-
 ceratis & turbulentis temporibus. ces-
 santis iam seculi. Confugiamus ad pre-
 ces tanquam ad *ἰεράν, ἀγκυραν*, vigilemus
 omni tempore deprecantes, ut liceat
 nobis effugere mala quae uetura sunt
 super uirgines fatuas, quae Endymio-
 nis somnum, grauissimo sopore soli-
 citudinis huius uitae, concupiscentia
 carnis, & concupiscentia oculorum,
 ac fastu uitae oppressae, dormiunt, non
 excitandae, nisi clangore & voce ma-
 gna tubae angelorum. Sic salui erimus.

E X C V-

P R A E F A T I O.

E X C U T I A M V S ergo & ab-
rumpamus somni vincula, excitemus
spiritu precum dormitantia pectora,
instemus oratione, vigilantes in ea, si-
cut scimus & Apostolos sanctos ora-
re non destitisse, diebus & noctibus,
& dominum quoque ac magistrum no-
strum frequenter & vigilanter orasse
in historijs Euangelicis legimus.

Q V O D studium vt pro talento, li-
cet per exiguo mihi concredito, exci-
tare, & cultum inuocationis, cum fi-
de & charitate refrigescens suo
ardori restituerem, quantum gratia
D E I, meo labore & opera fieri pos-
set, atque arma precum turpiter proie-
cta, quasi in manus multis bonis &
pijs restituerent, collegi ante annos ali-
quot ex sanctorum veterum scriptis
quasdam precandi formulas. Quem
meum conatum & laborum, acceptum
& vtilem fuisse, multis argumentis co-
gnoui. Sanè libellus tam auide expeti-
tus & emptus est, vt quanquam aliquo-
ties typis sit expressus: Tamen exem-

C 5 plaria

P R A E F A T I O .

plaria desiderentur & cupidè quæ-
rantur.

Q V A E res fecit vt decreuerim
eum recognitum & locupletatum,
denuo in lucem emittere.

A D vos autem, clarissimi viri, ami-
ci & collegæ charissimi cū inscripti-
one nominis vestri ipsum mitto, par-
tim vt dignitate vestra cōmendetur,
partim vt vobis, & calcar addam ad
assidue ardentèq; orandum, & be-
neuolentiã meam erga vos, atq; stu-
dium ostendam.

P R E C O R autem D E V M æ-
ternum, patrem D O M I N I & libe-
ratoris nostri I E S V C H R I S T I,
vt cōseruet corda vestra irreprehen-
sibilia in sanctimonia coram ipso, &
in ardenti spiritu precum in aduen-
tū filij sui cum omnibus sanctis suis,
confirmetq; vos vt indies magis cre-
scētes, in cognitione gratiæ suæ & in
inuocatione, in spiritu & veritate, in
fide non simulata irreprehensibiles
& inculpati inueniamini in die re-
dempti-

P R A E F A T I O .

demptionis nostræ , A M E N .

F R A N C O F O R D I A E ad O-
deram in Vigilia Mariæ Magdalenæ,
de qua canit Ecclesia: Pedes amplecti
tur Dominicos, lacrimis lauat, tergit
crinibus. Hæc sunt conuiuia quæ ti-
bi placent ô Patris sapientia. Anno
Regnantis Gratia 1570.

V. E. D.

Andreas Musculus.

FORMV-

deputatus, A. 1770
F. A. 1770
Gestor in ...
de ...
in ...
tribus ...
di ...
Regnum ...

A. 1770
D. ...
...

FORM V



1

F O R M V L A E
I N V O C A N D I S A N -
C T A M T R I N I -
tatem.

I.

A V G V S T I . M E D I T A .
Cap. 12.

O S V M M A Trinitas, virtus vna, & indiscreta Maiestas, DEVS noster, DEVS omnipotens, Confiteor ego tibi vltimus seruorum tuorum, & exiguum membrum Ecclesiae tuae, Confiteor tibi, & honorifico te, debito sacrificio laudis, Et quia exteriora mihi munera desunt, quae possim offerre, ea quae in me sunt vota laudationis, ex dono misericordiae tuae, ecce libens atq; ouans offero tibi de fide non ficta, & conscientia pura. Credo igitur te ex toto corde Rex caeli & terrae DOMINE, & ore te confiteor, Patrem, & Filiū, & Spiritū sanctum, in personis trinū, & in substantia vnum, verum DEVM omnipotentē, vnius simplicis & incorporeae, inuisibilis & incircumscriptionis naturae, in bonitate summa, in sapientia inestimabilem, in cōsilijs terribilem, in iudicijs iustū, in cogitationibus secretissim-

cretissimum, in verbis veracem, in operibus sanctū, in misericordijs copiosum, erga delinquentes patientissimum, erga pœnitētes pijsimū, semper eundem ipsum æternū & sempiternum, immortalem atq; incommutabilem. Te **D E V M** Patrem ingenitū, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus atq; benedicimus, tibi gloria in secula seculorum, **A M E N.**

A V G V S T I. M E D I T A.

Cap. 32.

TE inuoco ô beata Trinitas, vt venias ad me, & templū me facias dignū gloria tua, Rogo Patrem per filium, rogo Filium per Patrem, rogo Spiritum sanctū, per Patrem & Filium, vt omnia vitia elongētar à me, & omnes sanctæ virtutes plantētur in me. Custodi me opus manuum tuarum, & in te sperantem, & in tua solūmodo misericordia confidentē, Tu es **D E V S** omnipotens, custos & protectōr omnium in te sperantium, sine quo nemo est tutus, nemo de periculis liberatus. Tu es **D E V S**, & non est alius **D E V S** præter te, neq; in cœlo sursum, neq; in terra deorsū, Te de
cet

cet laus, te decet honor, te decet hymnus, tibi omnes Angeli, tibi cœli & vniuersæ potestates hymnos dicunt, & laudes indefinenter concinunt, vtpote creaturæ Creatori, Domino serui, Regi milites, Te sanctam & indiuiduam Trinitatē, omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat.

A V G V S T I . M E D I T A .

Cap. 33.

TV es Deus omnipotens, quem trinum in personis, & vnum in substantia Deitatis colimus & adoramus, Patrem ingentū, Filium de patre vnigenitū, Spiritum sanctū de vtroq; procedentē, & in vtroq; permanentem, sanctā & indiuiduā Trinitatem, vnum Deum omnipotentem, Qui cum non essemus, potenter fecisti nos, & cū perditī fuissetus culpa nostra, pietate & bonitate tua mirabiliter recuperasti nos, Ne finas nos esse ingratos obsecro tantis beneficijs, & indignos tā multis miserationibus. Te deprecor, supplico & rogo, auge fidē, auge spē, auge charitatē. Fac nos per ipsam gratiā tuam semper in fide stabiles, & in opere efficaces, vt per fidem rectam, ad vitā te miserante perueniamus æternā, vt ibi videntes gloriam tuam sicuti est, adore-

adoremus Maieſtatem tuam, & dicamus
pariter quos dignos feceris videre gloriam
tuam, Gloria Patri qui creauit nos, Gloria
Filio, qui redemit nos, Gloria Spiritui
ſancto, qui ſanctificauit nos, Gloria ſum-
mæ & indiuiduæ Trinitati, cuius opera in-
ſeparabilia ſunt: cuius imperium ſine fine
manet. Te decet laus, Te decet hymnus.
Tibi debetur omnis honor, Tibi benedi-
ctio & claritas, Tibi gratiarum actio, Tibi
honor, virtus & fortitudo, DEO nostro in
ſecula ſeculorum, Amen.

A V G V S T I. M E D I T A.

Cap. 40

DOMINE Deus omnipotens, qui es tri-
nus & vnus, qui es ſemper in omni-
bus, & eras ante omnia, & eris ſemper in
omnibus DEVS benedictus in ſecula, Tibi
commendo hodie, & omni tēpore, animā
meam, corpus meum, viſum, auditum, gu-
ſtum, odoratum & tactum, omnes cogitati-
ones meas, affectiones, locutiones, actio-
nes, omnia exteriora & interiora, ſenſum
& intellectū, in manus potentiaē tuæ, vt cu-
ſtodias ea diebus & noctibus, horis atque
momētis. Exaudi me Trinitas ſancta, & cō-
ſerua me ab omni malo, ab omni ſcandalo,
& ab

& ab omni mortali peccato, ab omnibus insidijs & infestationib. Dæmonum & inimicorum, visibiliū & inuisibiliū. Expelle à me iactantiam mentis, & auge compunctionem cordis: minue superbiam meam, & perfice in me humilitatē veram: suscita in me fletum: mollifica cor meum durū & lapideum: Libera me D O M I N E, & animam meam, ab omnib. insidijs inimici, & conserua me in tua voluntate. Doce me D O M I N E voluntatem tuam facere, quia D E V S meus es tu. Audi D O M I N V S meus & D E V S meus, audi quæ peto, & da vt quod peto exaudias, Si despicias pereō: si respicis viuo. Si iusticiam meam requiris, mortuus foeteo: Si cū misericordia respexeris, foetentē resuscitas de sepulchro. Quod odis in me, lōge fac à me: & castitatis ac continentiae spiritū infere in me: vt quodcunq; petiero in ipsa petitione te non offendā. Tolle à me quod nocet: & præbe quod iuuet. Præsta mihi D O M I N E, vt fraternam semper tenere valeam charitatē, & mala mea non obliuiscar, aliena non requiram. Parce animæ meæ: parce peccatis meis, parce criminib. meis. Visita me infirmū: cura me ægrū: sana me languentē: & suscita me mortuū. Miserere mei Domine,

D Deus,

Deus miserere mei, & respice me de sancta
 Maiestatis tuæ sede, & tenebras cordis
 mei radio splendoris tui illumina. Peto à
 te Domine remissionem omnium pecca-
 torum meorum, à quo & per quem mihi
 fiat propitiatio in tempore necessitatis &
 angustiae meae, AMEN.

AUGUSTI. SOLILOQVIO

Cap. 37.

OTRES coæquales & coæternæ perso-
 næ: DEVS vnus & verus, pater, &
 Filius, & Spiritus sanctus, qui solus habitas
 æternitatem & lucē inaccessibilē. Qui fun-
 dasti terrā in potentia tua, & regis orbem
 terræ prudentia tua. Sanctus, sanctus, san-
 ctus, Dominus Deus Sabaoth: terribilis
 & fortis, iustus & misericors, Vnus Deus:
 tres personæ, vna essētia, potētia, sapiētia,
 bonitas: vna & indiuisa Trinitas. Aperi mi
 hi clamāti portas iustitiæ, & ingressus in e-
 as, confitebor tibi Domino. En ad ostium
 tuū summe Paterfamilias mendicus pulso,
 Iube aperiri pulsanti, qui dixisti: Pulsate &
 aperietur vobis. Pulsant enim ad ostiū tu-
 um Pater misericordissime, desideria rugiē-
 tium præcordiorum meorum, & clamores
 lacrymarum oculorum meorum. Ante te
 est omne desiderium meum, & gemitus me-
 us à

us à te non est absconditus. Et tu Domine non auertas faciem tuâ à me, nec declines in ira à seruo tuo. Pater misericordiarum audi eiulatum pupilli tui, & porrige manû tuam optimam adiutricem, vt retrahat me de profundis aquarum: & de lacu miseræ: & de lutu fecis, ne peream vidente misericordia oculorum tuorum: aspiciente clementia viscerum tuorum, sed euadam ad te Dominum meum, & videam diuitias regni tui, & intuear faciem tuam semper, & laudem dicam nomini tuo sancto, Domine qui facis mirabilia, qui cor meum lætū facis memoria tua, qui illuminas iuuentutē meam, ne despicias senectutē meam, sed iubilare facias ossa mea, & reuiuiscere facias vt aquilæ annos meos, Qui viuis & regnas sancta Trinitas in secula, A M E N.

E C C L E S I A .

S A N C T A Trinitas, vnus DEVS, miserere nobis. Domine omnipotēs, æterne, ineffabilis, & sine principio, quē vnum in Trinitate, & trinum in vnitāte confitemur, Te laudo, te adoro, te glorifico, tuæq; clementiæ gratias refero, qui me existentē in nocte tenebrarum, voluisti fieri participē gratiæ & misericordiæ tuæ, Perfice in

D 2 me

§ A D S A N C T A M

me quaeso caeptū opus misericordiae tuae,
& gratuita me ubiq; pietate custodi, & fac
me peccatorem semper cogitare, loqui &
agere, quae tibi placita sunt, & post huius
vitae terminum, ad tuam visionem facias
peruenire, qui in Trinitate perfecta viuis &
regnas, in secula seculorum, Amen.

E C C L E S I A.

A E T E R N E D E V S, qui cum vnige-
nito Filio tuo, & Spiritu sancto vnus
es Deus, vnus es Dominus, non in vnus
singularitate personae, sed in vnus Trinita-
te substantiae. Quod enim te tua gloria, re-
uelante te credimus, hoc & de Filio tuo,
hoc de Spiritu sancto, sine differentia dis-
cretionis sentimus, vt in confessione verae
sempiternaeq; Deitatis, & in personis pro-
prietas, & in essentia vnitas, & in Maiesta-
te adoretur aequalitas, Quae laudat Angeli,
adorant dominationes, tremunt potesta-
tes, caeli, caelorum virtutes, ac beata Sera-
phin, socia exultatione concelebrant, Cum
quibus vt & nostras voces admitti iubeas
te precamur, dicentes, Sanctus, Sanctus,
Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

E C C L E S I A.

O M N I P O T E N S sempiternae Deus,
qui

qui dedisti famulis tuis in confessione vera
fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere,
& in potentia Maiestatis adorare vnitatē,
quæsumus, vt eiusdē fidei firmitate, ab om-
nibus semper muniamur aduersis, Amen.

S Y M B O L V M A T H A N A -
sij Episcopi.

Q V I cunq; vult saluus esse, ante omnia
opus est vt teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisq; integrā, inuiolatamq;
seruauerit, absq; dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, vt v-
num Deum in Trinitate, & Trinitatem in
vnitate veneremur.

Neq; confundentes personas, neq; sub-
stantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filij,
alia Spiritus sancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti,
vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna
Maiestas.

Qualis pater, talis Filius, talis Spiritus
sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increa-
tus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, im-
mensus Spiritus sanctus.

D 3 Æter-

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni, sed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immēsi, sed vnus increatus & vnus immēsus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotēs Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Omnipotentes, sed vnus Omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamē nō tres Dij, sed vnus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus.

Quia sicut sigillatim vnamquaq; personam Deum aut Dominū confiteri, Christiana veritate compellimur.

Ita tres Deos aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus nec genitus.

Filius à Patre solo est, non factus nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nō creatus, nec genitus, sed procedēs.

Vnus

Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij, vnus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus.

Sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ita vt per omnia, sicut iam supra dictū est, & Trinitas in vnitatem, & vnitas in Trinitate veneranda sit.

Qui vult saluus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutē, vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi, fideliter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus & cōfiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus, Dei filius, Deus & homo est.

DEVS est ex substantia Patris, ante secula genitus, & homo ex substantia matris in seculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum diuinitatem, Minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen sed vnus est Christus.

Vnus autē nō confusione diuinitatis in

D 4 . carnem,

carnem , sed assumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino non confusione substantiæ , sed vnitæte personæ.

Nā sicut anima rationalis & caro vnus est homo , Ita D E V S & homo vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos , tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cœlos , sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Inde vêturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.

Et reddituri sunt de factis pprijs rationē.

Et qui bona egerunt , ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignē æternum.

Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit , saluus esse non potest.

C O N F E S S I O A V G V S T I N I & Ambrosij.

TE D E V M laudamus , te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem , omnis terra veneratur. Tibi

Tibi omnes Angeli, tibi cœli & vniuersæ potestates :

Tibi Cherubin & Seraphin incessabili voce proclamant :

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli & terra Maiestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus.

Te Prophetarum laudabilis numerus.

Te Martyrum candidatus laudat exercitus.

Te per orbem terrarum sancta confite-
tur Ecclesia.

Patrem immensæ Maiestatis.

Venerandum tuum, verum & vnicum
Filium.

Sanctum quoq; paracletum Spiritum.

Tu Rex gloriæ Christe.

Tu patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum suscepturus hominẽ,
non horruisti virginis uterum.

Tu deuicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regnum cœlorum.

Tu ad dexteram D E I sedes, in gloria
Patris.

Iudex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus famulis tuis subueni.

D 5 quos

quos precioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum sanctis tuis gloria munerari.

Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos, & extolle illos vsq; in æternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomē tuū in seculū seculi.

Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire.

Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum sperauimus in te.

In te DOMINE speraui, non confundar in æternum, A M E N.

H Y M N V S.

O LV X beata Trinitas
Et principalis vnitas,
Iam sol recedit igneus
Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vesperi,
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudat secula, A M E N.

D E S A N C T A T R I N I -
tate Introitus.

B E N E -

BENEDICTA sit sancta Trinitas at-
que indiuisa vnitas, confitebimur ei,
quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Benedicamus Patrē & Filium cum san-
cto Spiritu, laudemus & superexaltemus
eum in secula seculorum, A M E N.

O R A T I O .

OMNIPOTENS sempiternae Deus, qui
dedisti famulis tuis in cōfessione veræ
fidei æternæ Trinitatis gloriã agnoscere,
& in potentia maiestatis adorare vnitatē,
quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab
omnibus semper muniamur aduersis, per
Dominum &c.

P R O S A D E S A N C T A

Trinitate.

BENEDICTA sēper sit sancta Trinitas,
Deitas scili. vnitas coæqualis gloria.
Pater, Filius, sanctus Spiritus, tria sunt
nomina omnia eadem substantia.

DEVS genitor, Deus genitus, in vtroq;
sacer spiritus Deitatis socius.

Non tres tamen dij sunt, Deus verus
vnus est, sic Pater Dominus Filius, spiri-
tusque sanctus.

Proprietas in personis, vnitas & est in es-
sentia. Maiestas

Maiestas par & potestas, decus, honor
æque omnia.

Sidera, maria continens, arua simul &
vniuersa condita.

Quem tremunt impia tartara, colit quo-
que quem & abyssus infima.

Nunc omnis vox atque lingua fateatur
hunc laude debita.

Quem laudat sol atq; luna, dignitas a-
dorat angelica.

Et nos voce præcellsa omnes module-
mur organica cantica dulci melodia.

Eya & eya nunc simul iubilemus alti
throni Domino laudes in excelsis.

O adoranda T R I N I T A S.

O veneranda vnitas.

Per te sumus creati vera æternitas.

Per te sumus redēti summa tu charitas.

Populum cunctum tu protege, salua,
libera, eripe, & emunda.

Te adoramus omnipotēs, tibi canimus,
tibi laus & gloria, per infinita secula secu-
lorum.

II

A D P A T R E M .

A V G V S T I . M E D I T A .

Cap. 5.

INVOCO te DEVS meus, Inuoco te qui prope es omnibus inuocantibus te in veritate. Tu enim veritas es, doce me quæso per clementiam tuam, sancta veritas, te inuocare in te, quia hoc fieri quomodo oporteat nescio, sed à te doceri beata veritas humiliter imploro. Abs te enim sapere est desipere, te vero nosse, est perfecte scire. Erudi me diuina sapiëntia, & doce me legē tuā. Credo namq; quem tu erudieris, beat⁹ erit, & de lege tua docueris eum. Desidero inuocare te, quod quæso fiat in veritate. Quid est in veritate inuocare veritatē, nisi in Filio Patrem? Ergo sancte Pater sermo tuus veritas est, principiumq; verborum tuorum veritas. Hoc quippe est verborū tuorum principium, quod in principio erat verbum. In ipso principio te summum adoro principium. In ipso veritatis verbo, te perfecta inuoco veritas, in quo ipsa eadē veritas dirigas me in veritate & doceas. Quid enim est dulcius quā Genitorem in nomine vnigeniti inuocare, Patrē in recorde Filij ad pietatem inflectere, Regē charissimæ sobolis denominatione mitigare? Sic enim solent rei carcerib. eripi, Sic comancipati vinculis liberari, Sic tristem accipientes sententiam capitis, non solum
absolui,

absolui, sed insuper nancisci insolitam gratiam, dummodo iratis principibus dilectæ prolis intimauerint charitatem. Sic delinquentes seruuli euadunt supplicia dominorum, dñ pro eis interuenit dulcedo filiorũ. Sic te omnipotens Pater, per omnipotētis Filij charitatē postulo, educ de carcere ad confitendum nomini tuo animam meam, libera me à vinculis peccatorum, per coæternum flagito vnicum tibi natũ, meq; cui propria merita letalem minantur sententiã, pretiosissimæ ad dexteram tuã confidentis prolis interpellatione restaura placatus ad vitã. Quem enim alium dirigam intercessorem tibi nescio, nisi hunc qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexterã tuam, interpellans pro nobis. Ecce aduocatus meus apud te Deũ Patrẽ. Ecce Pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, qui proprio refulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta beneplacẽs & perfectã, in odorem suauitatis oblata & accepta. Ecce agnus sine macula, qui corã se tondentibus obmutuit, qui alapis cæsus, sputis illitus, opprobrijs affectus, os suum non aperuit. En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros suo liuore sanauit. Per hunc sum-

mum

mū Mediatorem, Pontificem & Saluato-
rem, exaudi me clementissime Pater, Cū
quo tibi, simulq; Spiritui sancto, sit honor,
laus & gloria in secula, A M E N.

A V G V S T I. M E D I T A T.

Cap. 16.

CL E M E N T I S S I M E atq; aman-
tissime & benignissime amator homi-
nū Deus, per ipsum summū Sacerdotē &
verum Pontificē, & bonum pastorem, qui
se tibi detulit in sacrificium, ponēs animam
suam pro grege suo, Te rogo per ipsū, qui
sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro
nobis, redemptorem & aduocatum nostrū,
pietati & bonitati tuæ supplico, vt des mi-
hi cum eodē Filio tuo, & Spiritu sancto, te
in omnibus benedicere & glorificare, cum
multa cordis contritione, & lacrimarum
fonte, cum multa reuerentia & tremore.
Quia quorum vna est substantia, vnum est
datum. Sed quoniam corpus quod corrū-
pitur aggrauat animam, excita quæso tor-
porem meū tuis stimulis, & fac me strenue
perseuerare in præceptis & laudib. tuis die
ac nocte. Tribue vt cōcaleat cor meū intra
me, & in meditatiōe mea exardescat ignis.
Et quia ipse tuus vnicus natus dixit: Nemo
venit ad me, nisi Pater qui misit me trax-
erit

erit eum, Et nemo venit ad Patrem, nisi per me, Obsecro & suppliciter rogo, trahe me semper ad ipsum, vt ipse me tandem perducatur ad te illuc, vbi ipse est in dextera tua sedens. Vbi tu cum illo, & ille tecum in cōmunionem sancti Spiritus, æternaliter ac sempiternaliter viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum, Amen.

A V G V S T I. S O L I L O Q V I O.

Cap. II.

DE V S vera & summa vita, à quo, per quē, & in quo viuunt omnia, quæcunque vere & beate viuūt. Ego creatura tua sub vmbra alarum tuarum sperabo in bonitate tua qua creasti me, A diuina creaturam tuam, quam creauit benignitas tua, Nō pereat in malicia mea, quod operata est bonitas tua, Nō pereat in miseria mea, quod fecit summa clemētia tua. Quæ enim est utilitas in creatione tua, si descendā in corruptionē meam? Nunquid enim vane Deus cōstituiisti omnes filios hominum? Creasti me **D O M I N E**, rege quod creasti, Opera manuū tuarum ne despicias Deus, Me fecisti de nihilo, si me nō regis Domine, iterum reuertar ad nihilū. Sicut enim Domine nō eram, & de nihilo fecisti me, sic si me
non

nō regis, adhuc ad nihilum redigar in me.
 Adiuua me **DOMINE** vita mea, ne pere-
 am in malicia mea. Si non creasses me **Do-**
 mine, non essem, quia creasti me, iam sum.
 Si non regis, iam non sum. Non enim mea
 merita, nō mea gratia, te coëgerunt vt cre-
 ares me, sed benignissima bonitas tua, &
 clemētia tua. Illa charitas tua Domine **De-**
 us meus, quæ te ad creationem coegit, ipsa
 quæso modo cogat te ad regendum. Quid
 enim prodest, quod te cōpulit charitas tua
 ad creandum, si peream in miseria mea, &
 non me regat dextera tua? Hæc te cogat
 Domine **Deus** meus clementia ad saluan-
 dum, quod creatum est, quæ te compulit
 creare, quod creatum non est. Ipsa te vin-
 cat charitas ad saluandum, quæ te vicit ad
 creandum, quia nec nunc minor est, quia
 ipsa charitas tu ipse es, qui semper idem es.
 Nō est abbreviata manus tua Domine, vt
 saluare nequeat, neq; aggrauata est auris
 tua, vt nō audiat. Audi ergo & saluū me fac
 clemētissime Pater, per Filium tuum, **Do-**
 minum & saluatorem nostrum, **A M E N.**

AUGUSTI. SOLILOQVIO.

Cap. 12.

DOMINE Pater & **DEVS**, vita per
 E quam

quã omnia viuunt, & sine qua omnia mortua computantur, ne derelinquas me in cogitatu maligno, & extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Aufer à me concupiscentias. Illumina oculos meos, vt te videant, & nõ extollantur ante te gloria sempiterna, sed humiliter sentiant. Non in mirabilibus super se, Et quæ à dextris sunt videant, & non quæ à sinistris abs te, et palpebræ tuæ præcedant gressus meos, Nam & palpebræ tuæ interrogant filios hominum. Allide concupiscentiam meam dulcedine tua, quam abscondisti timentibus te, vt concupiscam te concupiscentijs sempiternis, ne vanis illectus & deceptus interior gustus ponat amarum dulce, & dulce amarum, tenebras lucẽ, & lucem tenebras.

OLUX quam non videt alia lux, lumen quod non videt aliud lumẽ, Lux à quo omne lumẽ, ne derelinquas me, ne accrescant vimbæ ignorantia meæ, & multiplicentur delicta mea, A M E N.

A V G V S T I. S O L I L O Q V I O

Cap. 15.

EGO confiteor tibi D O M I N E, Deus meus, paupertatẽ meam, & sit tibi tua gloria tota. Quoniam tuũ est omne bonũ
per

per me gestū, Domine confiteor vt docuisti me, nihil aliud sum quam vniuersa vanitas & vmbra mortis, & abyssus quædā tenebrosa, & terra inanis & vacua, quæ sine tua benedictione germinat, fructū quoque non facit, nisi confusionem, peccatum & mortem. Si quid boni vnquam habui, à te recepi, Quicquid boni habeo, tuum est, vel à te habeo. Si quando steti, per te steti, Si quando cecidi, per me cecidi, & semper in luto iacuissē, nisi tu me erexisses, Semper cæcus fuissē, nisi tu me illuminasses. Quando cecidi nunquā surrexissē, nisi tu mihi manum porrexisses. Postquā etiam me erexisti, semper cecidissē, nisi tu me sustinuissem, Sæpius perijssem, nisi me gubernasses. Sic semper Domine, sic semper gratia tua & misericordia tua, præuenit me, liberās me ab omnib. malis, saluans à præteritis, suscitans à præsentib. & muniens à futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorū, tollens occasiones & causas, quia nisi tu mihi hoc fecisses, omnia peccata mundi fecissem. Quoniam scio Domine, quod nullum peccatū est, quod vnquam fecerit homo, quod nō possit facere alter homo, si Creator deserit à quo factus est homo. Sed quod non facerem, tu fecisti, quod abstinere, tu iussisti,

iussisti, & quod tibi crederem, gratiã tu infudisti. Tu nãq; Domine regebas me tibi, seruabas me tibi, & mihi, vt adulterium, & omne aliud peccatum, non committerem, gratiã & lumẽ donasti. Tentator defuit, vt deesset, tu fecisti, locus & tempus defuit, & vt hæc deessent, tu fecisti. Affuit tentator, non defuit locus, non defuit tempus, sed vt nō consentirem, tu me tenuisti. Venit tentator tenebrosus, vt est, & vt eum despicerem, tu me confortasti. Venit tentator armatus & fortis, & vt me non vinceret, tu eum refrenasti, & me roborasti. Venit tentator transfiguratus in angelum lucis, & vt me non deciperet, tu eũ increpasti, & vt eum agnoscerẽ, tu me illuminasti. Et tu eripe nos Domine, qui saluas sperãtes in te, vt ipse de nobis doleat, & tu lauderis in nobis Domine Deus noster in æternũ, AMEN.

AUGUST. SOLILOQUIO.

Cap. 18.

DOMINE Deus meus, Sanctificator meus, iussisti mihi lege tua, vt diligam te toto corde meo, tota anima mea, tota mente mea, tota fortitudine mea, & totis virib. meis, etiam ex intimis medullis cordis mei, omnibus horis & momẽtis, quibus fruor

fruoꝝ bonis misericordiæ tuæ, quoniã semper perirẽ, nisi quia semper regis me, semper morerer, nisi quia semper me viuificas, & omni momento me tibi obligas, dũ omni momẽto mihi tua magna beneficia præstas: Sicut ergo nulla est hora, vel punctus in omni vita mea, quo tuo beneficio nõ vtar, sic nullum debet esse momentũ, quo te nõ habeam ante oculos in mea memoria, & te nõ diligam ex omni fortitudine mea. Sed nec hoc valeo, nisi tu dederis mihi, cuius est omne donum bonum, & omne datum optimum, descendẽs à Patre luminũ. Non enim est volentis neq; currentis, sed tui miserentis, vt diligamus te. Tuum est Domine hoc donum, cuius est omne bonum. Iube te diligi, da quod iubes, & iube quod vis. Amo te Deus meus, magisq; semper amare cupio. Quia tu es reuera omnĩ melle dulcior, omni lacte nutribilior, & omni luce clarior. Iccirco super omne aurũ & argentum, & lapidẽ pretiosum es mihi charior: O ignis qui semper ardes, & nunquã extingueris, accende me, accendar totus à te, vt totus diligã te. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Diligam te Domine, quoniam tu prior dilexisti me, & vnde mihi verbũ, vt

explicem signa dilectionis tuæ maximæ er-
 ga me, ppter innumerabilia beneficia tua,
 quibus à principio educaſti me. Poſt bene-
 ficium nempe creationis, quãdo in princi-
 pio de nihilo ad imaginẽ tuam creaſti me,
 honorificans & exaltãſ me, inter eas crea-
 turas quas feciſti, & nobilitans lumine vul-
 tus tui, quo ſignaſti ſuperliminare cordis
 mei, quo ab inſenſibilibus pariter & ſenſi-
 bilibus brutis diſcreuiſti me, & paulo minus
 ab angelis minuifſti. Parum & hoc fuit ante
 conſpectum diuinitatis tuæ, quoniã quoti-
 dianis & ſingularibus, maximisq; donarijs
 tuorum beneficiorũ me ſine intermiſſione
 nutriuiſti, & quaſi filium tuũ paruulum te-
 nellum, vberibus tuæ conſolationis lactaſti
 & confortaſti me. Vt enim tibi totus ſerui-
 rem, omnia quæcunq; feciſti, in meam ſer-
 uitudinem tradidiſti. Omnia ſub pedibus ho-
 minis ſubieciſti, vt ſolus homo totus tibi
 ſubijceretur. Nouiſti figmentum noſtrum,
 figulus noſter, & nos omnes quaſi lutũ in
 manu tua. Tu nos feciſti fabricator mũdi,
 rege nos, tu nos creaſti, ne ſpernas nos quia
 opera tua ſumus, tu quidẽ Domine Deus
 noſter, nos lutũ & vermiculi, nõ valemus
 in tuas æternitates intrare, niſi tu induxe-
 riſ, quide nihilõ cũctã creaſti. Obſecramus
 itaq;

itaq; per viscera misericordiæ tuæ, velis Domine saluare quod creasti, quoniam si vis, potes nos saluare, & in tua voluntate virtus est nostræ salutis. Salua igitur nos clementissime Pater, per vnicū Saluatorē nostrum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, A M E N.

A V G V S T I . S O L I L O Q V I O .

Cap. 26.

D O M I N E Pater cœlestis, recordare misericordiæ tuæ antiquæ, qua nos à principio in benedictionib. tuæ dulcedinis præuenisti. Antequā enim ego nascerer filius ancillæ tuæ Domine spes mea ab vberibus matris meæ, tu me præuenisti præparans mihi semitas quibus incederem, & venire ad gloriam domus tuæ, priusquam me formares in vtero nouisti me, & antequā exire de vulua quicquid tibi placuit, præordinasti de me. Ego autē stans in hac nocte tenebrosa hæc ignorans, timor & tremor venerunt super me, dū video vndiq; mihi imminere pericula, multitudineq; innumerabiliū miseriarū in hac vita me circumdari. Et nisi in tantis malis afforet mihi tuum adminiculum, desperarem. Sed spes

E 4 mihi

mihi magna subest de te mitissime prin-
 ceps, Deus meus, & cōsideratio multitudi-
 nis miserationum tuarū, quæ apud te sunt,
 subleuat mentē meā, & præcedentia signa
 misericordiæ tuæ, quæ me antequā nasce-
 rer præuenerunt, & nunc specialiter in me
 effulserunt, de futuris benignitatis tuæ meli-
 oribus & perfectiorib. muneribus, quæ a-
 micis tuis reseruas, spē meam admonent,
 vt in te lætetur Domine Deus meus, læti-
 tia sancta & viua, qua semper lætificas iu-
 uentutem meam. Dilexisti me vnice amor
 meus, antequam diligerem te, & ad imagi-
 nem tuam creasti me, omnib. creaturis tuis
 præposuisti me: Insuper facis angelos tuos
 spiritus propter me, quib. mandasti vt cu-
 stodiant me in omnibus vijs meis, ne forte
 offendam ad lapidem pedem meum: Hæc
 ipsa cōmemorans coram te, confiteor lau-
 dans te, quoniā beneficia tua magna sunt
 hæc, quibus nos honorificasti, dans nobis
 angelos tuos spiritus, in ministeriū nostrū.
 Laudēt ergo te Domine de hoc omnes an-
 geli tui, cōfiteātur tibi de hoc omnia opera
 tua, & ipsi sancti tui benedicant tibi. O ho-
 norificētia nostra, nos nimium honorificās
 & ditans, multis munerib. decorasti, tibi sit
 laus & gloria in sempiterna secula, AMEN.

ECCLE-

ECCLESIA.

DOMINE sancte Pater omnipotens
 Deus, qui coæqualem, consubstantia-
 lem & coæternū tibi ante omnia secula fi-
 lium ineffabiliter genuisti, cum quo, atque
 cum sancto Spiritu, ex te, eodēq; Filio pro-
 cedente, cœlum, terrā, atq; omnia quæcun-
 que existunt, visibilia & inuisibilia mirabili-
 ter creasti, tibi gratias ago, te adoro, & lau-
 do, te benedico, teq; magnifico. Esto quæ-
 so propitius mihi miserimo peccatori, & ne
 despicias me, sed defēde, protege & guber-
 na creaturā tuam, quam de morte æterna
 pretioso sanguine Filij tui vnigeniti libera-
 sti, vt seruatus laudē te, ac benedicā ac glo-
 rificem **N O M E N** sanctum tuum, ex hoc
 nunc & vsq; in seculum seculi, **A M E N**.

PSALM. 34.

BENEDICAM Dominum in omni
 tempore, semper laus eius in ore meo.

In Domino gloriabitur anima mea, vt
 aiant afflicti, & lætentur.

Magnificate Dominū meum, & exalte-
 mus nomen eius simul.

Exquisiui Dominum & exaudiuit me, &
 ex omnib. tribulationibus meis eripuit me.

E 5 Quis

Qui aspiciunt eum, & ad eum cōfluunt,
eorum facies non confundentur.

Iste pauper clamauit, & Dominus ex-
audiuit eum, & ex omnibus tribulationi-
bus eius saluauit eum.

Castrametatur angelus Domini in cir-
cuitu timentium eum, & eripiet eos.

Gustate & videte, quoniam suavis est
Dominus, Beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes sancti eius,
quoniam non est inopia timentibus eum.

Diuites eguerunt & esurierunt, inqui-
rentes autem Dominum, non indigebunt
omni bono.

Venite filij, audite me, timorem Do-
mini docebo vos.

Quis est homo qui desiderat vitam? Di-
ligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam à malo, & laba-
tua ne loquantur dolum.

Diuerte à malo & fac bonum, inquire
pacem & persequere eam.

Oculi Domini super iustos, & aures eius
in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes
mala, vt perdat de terra memoriam eorū.

Clamauerūt, & Dominus exaudiuit, &
ex omnib. tribulationib. eorū liberauit eos.

Iuxta

Iuxta est Dominus his qui tribulato
sunt corde, & humiles spiritu saluabit.

Multæ tribulationes iustorū, & de om-
nibus his liberabit eos Dominus.

Custodit omnia ossa eorum, vnum ex
his non conteretur.

Impium interficiet malum, & qui ode-
runt iustum, erunt rei.

Redimet Dominus animas seruorum
suorum, & non erunt rei omnes qui spe-
rant in eo.

P S A L M. 91.

QVI habitat in abdito altissimi, & in
vmbra omnipotentis commoratur:

Dicet D O M I N O, spes mea, & mu-
nitio mea, Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberabit te de laqueo ve-
nantium, & de peste exitiali.

Pennis suis teget te, & sub alis eius spe-
rabis, scutum & clipeus, est veritas eius.

Ne timeas à timore nocturno, & à sagit-
ta volante in die.

A peste grassante in tenebris, & à pesti-
lencia prædante in meridie.

Etsi cadent à latere tuo mille, & decem
millia à dextris tuis, ad te tamen non ap-
propinquabit.

Vtique

Utiq; oculis tuis cernes, & retributionē
impiorum videbis.

Quoniam tu es D O M I N E spes mea,
altissimū posuisti habitaculum refugij tui.

Non affliget te malum, & flagellum nō
appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam angelis suis mandauit de te,
vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manibus portabunt te, ne forte offē-
das ad lapidem pedem tuum.

Super leonem & aspidem ambulabis, &
conculcabis catulum leonis & draconem.

Quoniā desiderat me, liberabo eū, pro-
tegā eum, quoniā cognouit nomen meum.

Clamauit ad me, & ego exaudiam eum,
cum ipso sum in tribulatione, eripiā eum,
& glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, & o-
stendam illi salutare meum.

P S A L M . 145 .

EXALTA B O te Deus meus, Rex, &
benedicā nomini tuo in seculum, & in
seculum seculi.

Per singulos dies benedicā tibi, & lau-
dabo nomen tuum in seculum seculi.

Magnus Dominus, & laudabilis valde,
& magnitudinis eius non est inuestigatio.

Gene-

Generatio generationis laudabit opera tua, & potentiam tuam annuntiabunt.

Magnificentiam gloriæ laudis tuæ, & verba mirabilium tuorum narrabo.

Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.

Memoriam bonitatis tuæ eructabunt, & in iustitia tua exultabunt.

Miserator, & misericors Dominus, tardus ad iram, & multum misericors.

Bonus Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius.

Cōfiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.

Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.

Vt notam faciant filijs hominum potētiā tuā, & gloriam magnificētiae regni tui.

Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omnem generationem & generationem.

Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos.

Oculi omniū in te sperant Domine, & tu das escam illorū in tempore oportuno.

Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Iustus D O M I N U S in omnibus vijs suis,

suis, & sanctus in omnibus operibus suis.

Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate.

Voluntatē timentium se faciet, & deprecationem eorū exaudiet, saluos faciet eos.

Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes impios disperdet.

Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto eius in seculum, & in seculum seculi.

O R A T I O.

O M N I P O T E N S sempiternae Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo credentibus, reuelasti, custodi opera misericordiae tuae, vt Ecclesia tua toto orbe terrarum diffusa stabili fide in confessione tui nominis perseueret.

A L I A.

S A N C T I nominis tui Domine timorem & amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis.

A L I A.

D E V S cuius prudētia in sui dispositione nō fallitur, te suppliciter exoramus, vt
noxia

noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas.

A L I A.

L A R G I R E nobis Domine quæsumus semper spiritum cogitandi, quæ recta sunt, propitius & agendi, vt qui sine te esse nō possumus, secundum te viuere valeamus, Per eundē Dominum nostrum &c.

A L I A.

D E V S qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas, multiplica super nos gratiā tuam, vt ad tua promissa currentes cœlestium bonorum facias esse consortes, Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum &c.

H Y M N V S.

B E N E D I C T V S es Deus Domine patrum nostrorum.

Et laudabilis & gloriosus in secula.

Et benedictum nomē gloriæ tuæ quod est sanctum.

Laudabile & gloriosum in secula.

Benedictus es in tēplo factō gloriæ tuæ.

Et laudabilis.

Benedictus es super Tronum sanctum regni tui.

Et

Et laudabilis.

Benedictus es super sceptrum diuinitatis tuæ.

Et laudabilis.

Benedictus es qui sedes super Cherubin intuens abyssos.

Et laudabilis.

Benedictus es qui ambulas super pennas ventorum.

Et laudabilis.

Benedicant te omnes sancti angeli & serui tui.

Laudabilem.

Benedicant te cœli & terra, mare & omnia quæ in eis sunt.

Laudabilem.

Gloria Patri & Filio & Spiritui sanct. &c.

III.

A D F I L I V M.

A V G V S T I. M E D I T A.

Cap. 7. & 8.

DOMINE IESV CHRISTE,
Fili Dei viui, redemptor & liberator
meus clemētissime, oro te per miserationes
tuas, vt nihil mihi sine te dulcescat, nihil
complaceat, nihil pretiosum, nihil præter
te mi-

te mihi arrideat speciosum, vilescant obsecro abs te mihi omnia, sordeant vniuersa, quod tibi aduersum est, sit mihi molestum, & tuum beneplacitū mihi indeficiens desiderium. Tædeat me gaudere sine te, & delectet contristari pro te. Sit mihi nomen tuum refocillatio, & memoria tua consolatio, Rogo te spes mea, per omnes miserationes tuas, vt propitieris impietatib. meis: Aperi aures meas mandatis tuis, & ne declines, (oro per nomen sanctum tuum), in verba malitiæ cor meū ad excusandas excusationes in peccatis. Peto etiā per admirabilem humilitatem tuā, ne veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris nō moueat me. Spes mea C H R I S T E Deus, hominum tu dulcis amator, lux, via, vita, & salus, te deprecor, supplico & rogo, vt per te ambulem, ad te perueniam, in te requiescam. Scis enim occultorum cognitor Deus, quoniam non solum terra, & omnibus quæ in ea sunt, tu mihi charior es, sed etiam ipso cælo, & omnib. quæ in eo sunt, tu mihi acceptabilior, tu mihi amabilior es. Diligo enim te super cælū & terram, & cætera omnia quæ in eis sunt. Amo te Deus meus amore magno, magisq; te amare cupio, da mihi vt amem te semper quantū

F volo.

volo, quantum debeo, vt tu solus sis tota
 intentio mea, & omnis meditatio mea, te
 mediter per dies sine cessatione, te sentiam
 per soporem in nocte, te alloquatur spiritus
 meus, tecum fabuletur mens mea, lumine
 sanctæ visionis tuæ illustretur cor meum,
 vt te duce, te rectore, ambulē de virtute in
 virtutē, tandemq; videam te Deum Deo-
 rum in Sion, nunc quidem per speculum
 in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,
 A M E N.

A V G V S T I. M E D I T A.

Cap. 35.

REX CHRISTE redemptor, rogo te
 per omnes miserationes tuas, quib. de
 morte æterna liberati sumus, mollifica cor
 meum durū & lapideum, saxeam & ferre-
 um, tua sacratissima & potēti vnctione, &
 fac me per ignem compunctionis coram
 te omni hora hostiā fieri viuam, fac me in
 tuo conspectu cor contritum & humiliatū
 semper habere cum lacrimarum abundan-
 tia, fac me ex tuo desiderio huic mundo
 funditus extinguī, & transeuntium rerum
 obliuisci, præ magnitudine timoris & amo-
 ris tui, vsq; adeo, vt de temporalib. nec lu-
 geam, nec gaudeam, nec metuam aliquid

tem-

temporale, nec diligam, nec blandis corrupar, nec aduersis concutiar: Et quia tua valida est vt mors dilectio, absorbeat quæso mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt ignita & melliflua vis amoris tui, vt tibi soli inhæream, solaq; tuæ suauitatis memoria pascar, reple quæso semper cor meum inextinguibili dilectione tua, continua recordatione tua, adeo vt sicut flamma vrens, totus ardeam in tui amoris dulcedine, fac me dulcissime Domine amare te, & desiderio tuo deponere pondus omnium carnalium desideriorum, & terrenarum concupiscentiarum grauissimam sarcinam, quæ impugnant & aggrauant miseram animam meam, vt post te expeditus in odore vnguentorum tuorum currens, vsq; ad tuæ pulchritudinis visionem efficaciter fatiandus, te duce merear peruenire. Audi DEVS meus, audi lumen oculorum meorum, pie & misericordissime DOMINE, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces serui tui, AMEN.

AUGUSTI. MEDITAT.

Cap. 36.

CHRISTE DOMINE Verbum
F 2 Patris.

Patris, qui venisti in hunc mundū peccatores saluos facere, rogo te per indulgentissima misericordiæ tuæ viscera, emēda vitam meā, meliora actus, compone mores, tolle de me quod mihi nocet, & tibi displicet, & da quod nosti tibi placere, & mihi prodesse. Quis potest facere mundum, de immūdo conceptum semine nisi tu solus? Tu es D E V S omnipotens, infinitæ pietatis, qui iustificas impios, & viuificas mortuos, ppter peccatum, qui mutas peccatores & nō sunt. Tolle ergo de me quicquid tibi displicet in me, imperfecta enim mea plurima vident oculi tui, mitte quæso manū pietatis tuæ in me, & tolle de me quicquid offēdit oculos pietatis tuæ in me. Corā te Domine est sanitas & infirmitas mea, illam precor serua, istā sana. Sana me Domine & sanabor, Saluum me fac, & saluus ero. Dulcissime & benignissime C H R I S T E, infunde obsecro multitudinem dulcedinis tuæ & charitatis tuæ pectori meo, vt nihil terrenum, nihil carnale desiderem, vel cogitem, sed te solum amem, te solum habeā in corde & in ore meo. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui melliflui nominis, nulla vnquam obliuione delendam. Scribe in tabulis cordis
mei

mei voluntatem tuam & iustificationes tuas, vt te immēſæ dulcedinis Dominum, & præcepta tua ſemper & vbiq; habeam præ oculis meis. Succende mentem meã igne illo tuo, quem miſiſti in terram, & voluiſti vehementer accendi, vt ſacrificiũ ſpiritus contribulati, & cordis contriti obortis lacrymis quotidie offeram tibi. Da ergo mihi gratiam lacrymarum, ex multa dulcedine amoris tui, & cõmemoratione miſericordiarum tuarum, Præpara hãc menſam famulo tuo in conſpectu tuo, & da mihi eã in poteſtatem, vt quoties volo ſatier ex ea. Tribue ex pietate & bonitate tua, vt iſte calix tuus inebriãs & præclarus, ſatiet ſitim meam, vt inhiet tibi ſpiritus meus, & ardeat mens mea in amore tuo, oblitus vanitatis & miſeriæ. Audi Deus meus, audi lumẽ oculorum meorũ, audi quæ peto, Amen.

A V G V S T I. M E D I T A.

Cap. 37.

I E S V D O M I N E, Ieſu pie, Ieſu bone qui mori dignatus es, propter peccata noſtra & reſurrexiſti propter iuſtificationem noſtram, rogo te per illa ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, è quib. emanauit ille pretioſus ſanguis

F 3

quo

quo sumus redēti, vulnera hanc animā meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo & potentissimo telo tuæ nimiae charitatis. Vius est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Tu sagitta electa, & gladius acutissimus, qui durū scutū humani cordis penetrare tua potētia vales. Cōfige cor meū iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea, caritate tua vulnerata sum, itavt ex ipso vulnere amoris tui vberrimae fluant lacrymae die ac nocte. Percute Domine, percute obsecro hanc durissimam mentē meā pia & valida cuspide dilectiōis tuæ, & altius ad intima penetra, potenti virtute. Et sic de capite meo educ aquam immensam, & de oculis meis verum fontē lacrymarum iugiter manantem, ex nimio affectu & desiderio visionis pulchritudinis tuæ, vt lugeam die ac nocte, nullā in praesenti vita recipiens consolationem, donec te in coelesti thalamo merear videre dilectum & pulcherrimum sponsum meum, Deum & Dominum meum, vt ibi videns gloriosam, admirabilem & pulcherrimam faciem tuam omni dulcedine plenam, cū his quos elegisti, Maiestatem tuam supplex adorem, & illic tandē coelesti & ineffabili
reple-

repletus iubilo æternæ exultationis, exclamem cum diligentibus te, dicens: Ecce quod cōcupiui iam video, quod sperabam iam teneo, quod desideravi iam habeo. Illi namq; in cœlis iunctus sum, quem in terris positus tota virtute dilexi, tota charitate amplexus, cui toto amore inhæsi, ipsum laudo, benedico atq; adoro, qui viuit & regnat Deus in seculâ seculorum, A M E N.

AUGUSTI. SOLILOQUIO.

Cap. 13. & 15.

IESV CHRISTE Fili Dei viuentis, te deprecor per te ipsum, ne derelinquas me: redemisti me, cum perijssem: perieram, mortuus fueram, ad mortuum descendisti, mortalitatem suscepisti, ad seruum rex descendisti, vt seruum redimeres, te ipsum tradidisti, vt ego viuerem, tu mortem suscepisti, mortem vicisti, me instaurasti cum te humiliasti: perieram, abieram in peccatis, venundatus eram, venisti pro me, vt redimeres me, & tantum me dilexisti, vt sanguinem tuum in precium dares pro me, dilexisti me Domine plus quam te, quia mori uoluisti pro me. Tali pacto, tam charo precio reduxisti me de exilio, redemisti me de seruitio, retraxisti me de supplicio, vocasti me

F 4 nomi-

nomine tuo, signasti me sanguine tuo, vt memoriale tuum semper esset apud me, & nunquam recederet à corde meo, qui pro me non recessit à cruce. Vnxisti me oleo tuo, quo tu vnctus fuisti, vt à te C H R I S T O dicerer Christianus. Tibi igitur soli sit gloria, cuius est omne bonum, nobis autem confusio faciei & miseria, quorum est omne malum, nisi tu volueris misereri. Misereris autem Domine, misereris omniũ, & nihil odisti eorum quæ fecisti, & das nobis de bonis tuis, & ditas nos Domine Deus inopes, optimis donis tuis, quoniam diligis pauperes, & diuites facis eos diuitijs tuis. Ecce nũc Domine pauperes nos tui filij sumus, & pusillus grex tuus, aperi nobis ianuas tuas, & edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt te qui requirunt te. Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram, faciẽ Domini virtutum, in qua sola resistit tota gloria sempiterna beatorũ, quam quidem videre vita æterna est, & gloria sempiterna sanctorum. Ostende igitur nobis Domine faciem tuam, & salui erimus, qui viuis & regnas cũ Patre & Spiritu sancto in sempiterna secula, A M E N.

A V G V S T. S O L I L O Q V I O.

Cap. 31. 2.

S A N-

SA N C T E sanctorum Deus, inæstima-
 bilis Maiestatis, Deus Deorum & Do-
 minus Dominorum, quem contremiscunt
 in cœlo angelicæ potestates, quæ adorant
 omnes dominationes, & throni & omnes
 virtutes pauent à conspectu tuo, cuius po-
 tentiæ & sapientiæ nō est numerus. Et ego
 filius ancillæ tuæ, per fidem flecto cerui-
 cē cordis mei sub pedibus Maiestatis tuæ,
 gratias agens, quoniā dignatus es, per tu-
 am misericordiam illuminare me. Lumen
 verum, lumen sanctum, lumen delectabile.
 Ecce video, gratias ago, ecce video lumē
 cœli, interlucet oculis mentis meæ radius,
 desuper à facie luminis tui, & lætificat om-
 nia ossa mea. Auge quæso luminis auctor,
 auge quæso quod interlucet in me. O lux
 quæ semper luces, & nunquam obfuscaris,
 illumina me. O lux beatissima, quæ nō ni-
 si à purgatissimis oculis videri potes, mun-
 da me, mundans virtus, sana oculos meos,
 vt sanis oculis te contempler, hîc in ænig-
 mate & speculo, tunc autē facie ad faciem,
 quando veniet dies lætitiæ & exultationis,
 in qua ingrediar in locū tabernaculi admi-
 rabilis vsq; ad domū Dei, vt videā viden-
 tem me facie ad faciem, & satietur deside-
 rium meum, & laudē dicam nomini tuo,

per secula seculorum, AMEN.

AVGUSTI. DE CONTRI-
tione. Cap. 3.

DOMINE IESV CHRISTE,
redētor meus, vita & salus mea, te lau-
do, tibi gratias ago, tua me Domine boni-
tas creavit, tua misericordia me à peccato
originali mundavit, tua patientia post illā
emundationem, in alijs peccatorum fordi-
bus hactenus toleravit, nutriuit & expecta-
vit. **D**OMINE Deus meus, creator me-
us, adiutor meus, te sitio, te esurio, te desi-
dero, ad te suspiro, te concupisco benignis-
simum, suavissimum & serenissimū, te vo-
lo, te quæro, in te spero. Renuit consolari
anima mea, nisi de te dulcedo mea, accede
ad me Domine, appare mihi & consolatus
ero, ostende mihi faciem tuam, & saluus e-
ro. Da mihi Domine Deus meus speciose
præ filijs hominum, vt desiderem te, vt a-
mem te, quantum volo & quantū debeo,
immensus es, & sine mensura debes amari,
præsertim à nobis, quos sic amasti, sic sal-
uasti, pro quib. tāta & talia fecisti. O dulcis
CHRISTE, bone IESV, charitas, **D**EVS
meus, accende me toto igne tuo, amore
tuo, charitate tua, vt diligā te Dominū me-
um

um dulcissimum & pulcherrimum, ex toto corde meo, per omnem vitam meã, & per omnia secula seculorum, A M E N.

A V G V S T I. M A N V A L E

Cap. 14.

P I I S S I M E D O M I N E, qui sic nos amasti & saluasti, sic viuificasti & sublimasti pijsime Domine, quã dulcis est memoria tua, quanto magis in te meditor, tãto es mihi dulcior & amabilior. Iccirco delectant me valde bona tua puro mentis intuitu, & dulcissimo pij amoris affectu in loco peregrinationis meæ. Interim quam diu his fragilib. subsisto membris, mirã tuã dilectionem, & pulchritudinem, indefinenter cupio desiderare & cõsiderare. Tuæ enim charitatis iaculo vulneratus sum, tuo vehementer desiderio flagro, ad te peruenire cupio, te videre desidero. Iccirco super custodiam meam stabo, & vigilantib. oculis psallã spiritu, psallã & mente, & totis viribus meis, te factorem & reffectorem meum collaudabo, Polũ penetrabo mente, & desiderio tecum ero, vt in præsentiquidem miseria, solo corpore tenear, tecũ autem cogitatione & auuiditate, atq; omni desiderio sim semper, quatenus ibi sit cor
meum,

meum, vbi tu es thesaurus meus desiderabilis, incomparabilis, multumq; amabilis. Sed Ecce Deus meus pijsime, ac misericordissime, dum tuæ immensæ bonitatis & pietatis gloriam considerare volo, cor meum non sufficit, excedit enim sensum humanæ mentis tuum decus, tua pulchritudo, tua virtus, & tua charitas. Sicut inæstimabilis est tuæ gloriæ splendor, ita ineffabilis est æternæ tuæ charitatis benignitas, qua illos quos de nihilo creasti adoptas in filios, & tibi coniūgis, tibi sit honor & gloria in sempiterna secula, AMEN.

HIERONY. IN AGONE,

IESV CHRISTE, Tu es Deus meus & Dominus meus, qui pro me passus es, qui cum Deus esses solus ante omnia tempora, & sine principio genitus à Deo Patre, æterna & inuestigabili generatiōe, qui cū ipso Patre & Spiritu sancto vnus Deus es, permanens illud idē, quod eras & es, intra vnus puellæ corpusculū te clausisti, factus homo sicut ego sum, vere & Deus & homo es. Sic enim in virginali vtero hominē suscepisti, qđ nec sine homine Deus es, nec sine Deo homo, quāuis neq; humanitas sit diuinitas, nec diuinitas humanitas:

Non

Non sunt cōfusæ naturæ, quāuis sit vna & eadē in te persona. Nōne es caro & frater meus? Vere sic famē habuisti, sitisti, fleuisti, meas infirmitates habuisti vt ego, sed tamen in te peccandi infirmitas, & defectus non fuit, vt in me. Non enim peccare potuisti vt ego, in te fuit corporaliter & est omnis plenitudo diuinitatis & gratiæ, non enim data fuit tibi ad mensurā gratia. Tua enim anima statim coniuncta fuit inseparabiliter diuinitati, omnia perfecte sciuit, & potuit, quæ ipsa scit & potest diuinitas. Quantū ad diuinā naturā quæ in te est, æterno Patri æqualis es, sed ob illam, quam pro nostra redemptione assumsisti, humanitatem, minor es, nec tamen ex eo aliquod incurris vituperiū: Tu nempe es ille, super quē in Iordanis alueo, Baptizante Ioanne, vox subito paterna cœlitus intonuit, Hic, inquit, est Filius meus dilectus, in quo mihi benecōplacuit, ipsum audite, & Spiritus sanctus in te, vt columba descendens, te vnum esse cum Patre, & eundē in substantia declarauit. Te igitur Domine I E S U C H R I S T E, vere D E V S & homo, glorifico & laudo, vt Deū meum, & Dominū meum, liberatorē ac Saluatorem meum, fac me semper laudare te quam diu fuero, A M E N. B E R N-

B E R N H A R D V S.

O B O N E I E S V, O dulcis Iesu, O Iesu
 fili Mariæ virginis, plenus misericordia & veritate, O dulcis Iesu miserere
 mei, secundum magnâ misericordiam tuâ.
 O benigne I E S V, te deprecor per illū sanguinem tuum pretiosum, quem pro nobis
 miseris peccatorib. effundere dignatus es
 in ara crucis, vt abijcias omnes iniquitates
 meas, & ne despicias humiliter te petentē,
 & hoc nomen tuū sanctissimū Iesus inuo-
 cantem. Hoc nomen Iesus, nomen dulce
 est, Hoc nomen Iesus, nomen salutare est.
 Quid est enim Iesus nisi Saluator? O bone
 Iesu, qui me creasti & redemisti tuo pprio
 sanguine, ne permittas me damnari, quē ex
 nihilo creasti. O bone Iesu, ne perdat me
 iniquitas mea, quē fecit omnipotens bo-
 nitas tua. O bone Iesu, recognosce quod
 tuum est in me, & absterge quod alienum
 est à me. O bone Iesu, miserere mei, dum
 tempus est miserendi, ne perdas me in tē-
 pore tui tremendi iudicij. O bone Iesu, si
 merui miser peccator de vera tuâ iustitia
 pœnâ æternâ pp peccatis meis grauissimis,
 adhuc appello, de tua iustitia vera, ad tuam
 misericordiam ineffabilem, itaq; miserebe-
 ris

ris mei vt pius pater & misericors D O-
M I N V S. O bone Iesu, quæ utilitas in
sanguine meo, dum descendo in corruptio-
nem æternam? Non enim mortui lauda-
bunt te D O M I N E, neq; omnes qui des-
cendunt in infernum. O misericordissime
I E S V, miserere mei. O dulcissime Iesu
libera me. O pijsime Iesu, propitius esto
mihi peccatori. O Iesu admitte me miserũ
peccatorem inter numerum electorum tu-
orum. O Iesu, salus in te sperantium. O
I E S V, salus in te credentiũ, miserere mei.
O I E S V, dulcis remissio omnium pecca-
torum meorum. O I E S V, fili virginis MA-
R I Æ, infunde in me gratiam tuam, sapi-
entiam, charitatem, castitatem & humilita-
tem, ac in omnibus aduersis meis patien-
tiam sanctam, vt possim te perferre, dilige-
re, & in te gloriari ac delectari in secula
seculorum, A M E N.

E C C L E S I A.

DO M I N E I E S V C H R I S T E, Fi-
li Dei viui, qui es verus & omnipotens
Deus, Saluator & imago Patris, & vita æ-
terna, cui est vna cũ æterno Patre & Spiri-
tu sancto æqualis honor, coæterna Maie-
stas, vna substãtia, tibi gratias ago, te adoro,
te lau-

te laudo, te benedico, teq; glorifico, ne me quæso perire patiaris, sed salua & adiuua me gratuito munere tuo, quem dignatus es redimere precioso sanguine tuo, Qui cum eodem Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti viuis & regnas in secula seculorum, A M E N.

P S A L M. 2.

QVARE fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?

Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus C H R I S T V M eius.

Dirumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitui Regem meum super Zion montem sanctum meum.

Prædicabo de decreto, quod Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te:

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Con-

Conteres eos in virga ferrea, & tanquã
vas figuli confringes eos.

Et nũc Reges intelligite, erudimini qui
iudicatis terram.

Seruite Domino in timore, & exultate
ei cum tremore.

Osculamini Filium, ne quando irasca-
tur, & pereatis in via.

Quia in breui exardescet ira eius, Beati
omnes qui confidunt in eo.

P S A L M. 45.

ERVCTAVIT cor meum verbum
bonum, dico ego opera mea Regi.

Lingua mea, calamus scribæ, velociter
scribentis.

Speciosus forma præ filijs hominum,
diffusa est gratia in labijs tuis, propterea
benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo, super femur tu-
um, potentissime, gloria tua & decore tuo.

Et in decore tuo prosperare, & equita
super verbum veritatis, & afflictionis, pro-
pter iustitiam, & docebit te dextera tua
mirabilia.

Sagittæ tuæ adeo acutæ, vt populi sub
te cadant, in medio inimicorum Regis.

Sedes tua Deus in seculum seculi, Scep-

Gtrum

trum regni tui, sceptrum rectum.

Dilexisti iusticiã, & odisti impietatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo læticiæ præ consortibus tuis.

Myrrha & aloes & casia, omnia vestimenta tua è domibus eburneis, ex quibus delectant te.

Filiæ Regum in honore tuo, astat regina à dextris tuis in vestitu deaurato.

Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorẽ tuum, quoniam ipse est Dominus Deus, & adorabis eum.

Et filia Tyri cum munerib. aderit, vultum tuum deprecabuntur diuites plebis.

Omnis gloria filiæ Regis ab intus, vestimentum fimbrijs aureis.

Acu pictis vestibus adducetur Regi, virgines post eam, & amicæ eius adducẽtur tibi.

Adducentur in læticia, & exultatione ingredientur in templum regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.

Memor ero nominis tui, in omni generatione

ratione & generationem propterea populi
confitebuntur tibi in æternum, & in secu-
lum seculi.

H Y M N V S.

Q V Æ R A M V S puro corde Domi-
num,

Hymnis & in confessionibus.

Iudex complacabitur Dominus.

Non negat hic veniam :

Qui vult vt homo quærat gratiam.

Post iugum seruile Pharaonis,

Post catenas duræ Babilonis :

Liber homo patriam

Quærat cœlestem Hierosolymam.

Fugiamus de hoc exilio :

Habitemus cum Dei filio,

Hoc decus est famuli

Si sit cohæres sui Domini.

Sis C H R I S T E nobis dux huius vitæ :

Memento quod simus oues tuæ

Pro quibus ipse tuam

Pastor ponebas morte animam.

I I I I .

A D S P I R I T V M

S A N C T V M .

G 2

D I V I N I

DI V I N I amor numinis, Patris om-
 nipotentis, prolisq; beatissimæ sancta
 cōmunicatio, Omnipotens paraclete Spi-
 ritus, merentiū consolator clementissime,
 iam cordis mei penetralib. potenti illabere
 virtute, & tenebrosa quæq; laris neglecti la-
 tibula, corusci luminis fulgore pius habita-
 tor lætifica, tuiq; roris abundantia longo
 ariditatis marcētia squalore visitando fœ-
 cūda. Saucia interioris hominis arcana tui
 amoris iaculo, & torpentis medullas ieco-
 ris flammis salutarib. penetrando succēde,
 sanctique feruoris igne illustrando intima
 mentis, & corporis vniuersa depasce. Pota
 me torrente voluptatis tuæ, vt nihil iam
 mundanorum degustare libeat venenatæ
 dulcedinis. Iudica me Domine & discerne
 causam meam de gente non sancta, doce
 me facere voluntatem tuā, quia Deus me-
 us es tu. Credo ergo quod quemcunq; in-
 habitaueris, Patris ac pariter Filij domici-
 liū cōdis. Beatus qui te merebitur hospita-
 ri, quoniā per te, Pater & Filius apud eum
 faciunt mansionem. Veni iam veni benigni-
 ssime dolentis animæ consolator, prote-
 gens in opportunitatibus, in tribulatione
 adiutor. Veni mundator scelerum, curator
 vulnerum. Veni fortitudo fragilium, rele-
 uator

uator labentium. Veni humilium doctor,
 superborum destructor. Veni orphanorū
 pius Pater, viduarum dulcis iudex. Veni
 spes pauperum, refocillator deficientium.
 Veni nauigantium sydus, naufragij por-
 tus. Veni omnium viuentium singulare de-
 cus, morientiū vnica salus. Veni sanctissi-
 me Spiritus, veni & miserere mei, apta me
 tibi, & condescende propitius mihi, vt mea
 tuæ magnitudini exiguitas, roboriq; tuo
 mea imbecillitas, secundum multitudinem
 tuarum complaceat miserationum, per
 Iesum Christum Saluatorem meum, qui
 cum Patre in tua vnitate viuit, & regnat
 in secula seculorum, A M E N.

A V G V S T. S O L I L O Q V I O.

Cap. 33.

CO G N O V I T E D E V M, & vnum
 Spiritum sanctū Patris & Filij, ab vtro-
 que pariter procedentē, consubstantialem
 & coæternum Patri & Filio, Paracletum
 & aduocatum nostrum, qui super eundem
 D E V M Dominum nostrum Iesum Chri-
 stum in columbæ specie descendisti, & su-
 per Apostolos in linguis igneis apparuisti,
 qui & omnes Sanctos & Electos D E I à
 principio tuæ gratiæ munere docuisti, &

G 3 ora.

ora Prophetarum, vt enarrent mirabilia regni Dei, aperuisti, quia ab omnibus Sanctis DEI, cum Patre & Filio simul adoraris & glorificaris, inter quos & ego filius ancillæ tuæ, toto corde meo glorifico nomen tuum, quoniam illuminasti me. Tu enim es vera lux, lumen veridicum, ignis DEI, & magister spirituum qui vnctione tua doces nos omnem veritatem, Spiritus veritatis, sine quo impossibile est, placere Deo, quoniam tu ipse Deus es ex Deo, & lux de luce, procedens à patre luminū, & à suo Filio Domino nostro Iesu Christo, quibus consubstantialis & coæqualis, & coæternus existens, in vnus Trinitatis essentia superessentialiter congloriaris, & conregnas in secula seculorum, A M E N.

E C C L E S I A.

DO M I N E Spiritus sancte DEVS, qui coæqualis, consubstantialis & coæternus Patri, Filioq; existens, ab eis ineffabiliter procedens, quiq; super eundē Dominum nostrum I E S U M C H R I S T V M in columbæ specie apparuisti, & super sanctos discipulos, in linguis igneis descēdisti, tibi gratias ago, te adoro, te laudo, teque benedico, & glorifico, repelle à me quæ-
so te-

so tenebras totius iniquitatis & perfidiæ,
ac accende in me lumen misericordiæ
tuæ, & ignem sanctissimi amoris tui, Qui
viuis & regnas Deus, per omnia secula se-
culorum, A M E N.

H Y M N V S.

SA N C T I Spiritus absit nobis gratia.
Quæ corda nostra sibi faciat habita-
culum.

Expulsis inde cunctis vitijs spiritalibus.
Spiritus alme illustrator hominum,
Horridas nostræ mentis purga tene-
bras.

Amator sancte sensatorum semper co-
gitatum.

Infunde vnctionem tuam clemens no-
stris sensibus.

Tu purificator omniū flagitiorum Spi-
ritus.

Purifica nostri oculum interioris ho-
minis.

Vt videri supremus genitor possit a
nobis.

Mundi cordis, quem soli cernere pos-
sunt oculi.

Prophetis tu inspirasti, vt præconia
Christi præcinnissent inclyta.

G 4 Apo-

Apostolos confortasti, vt trophæum
Christi per totum mundum veherent.

Quando machinam per verbum suum
fecit Deus cœli, terræ, marium.

Tu super aquas solutus eas, nomen tuū
expandisti Spiritus.

Tu animab. viuificadis aquas fœcūdas.

Tu aspirādo das spiritales esse homines.

Tu diuisum per linguas mundum & ri-
tus, adunasti Domine.

Idolatrias ad cultum Dei reuocas magi-
strorum optime.

Ergo nos supplicantes tibi exaudi pro-
pitius sancte Spiritus.

Sine quo preces omnes cassæ credun-
tur, & indignæ Dei auribus.

Tu qui omnium seculorum sanctos tuī
nominis docuisti instinctu amplectendo
Spiritus.

Ipsē hodie Apostolos Christi donans
munere insolito, & cūctis inaudito seculis.

Hunc diem gloriosum fecisti.

H Y M N V S.

VENI sancte Spiritus, & emitte cœli-
tus, lucis tuæ radium.

Veni pater pauperum, veni dator mu-
nerum, veni lumen cordium.

Con-

Consolator optime, dulcis hospes ani-
mæ, dulce refrigerium.

In labore requies, in æstu temperies, in
fletu solatium.

O lux beatissima, reple cordis intima
tuorum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine,
nihil est innoxium.

Lava quod est fordidum, riga quod est
aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, foue quod est
frigidum, rege quod est deuium.

Da tuis fidelibus, in te cõfidentibus, sa-
crum septenarium.

Da virtutis præmium, da salutis exitum,
da perenne gaudium.

H Y M N V S.

V E N I creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,

Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Qui paracletus diceris,
Donum Dei altissimi,

Fons viuus, ignis, charitas,
Et spiritualis vnctio.

Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,

G 5

Tu

Turite promissum patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpetim.

Hostem repellas longius,
Pacemq; dones protinus,
Ductore sic te præuio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da patrem,
Noscamus atq; filium,
Te vtriusq; spiritum,
Credamus omni tempore.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paracletio,
Nobisq; mittat Filius,
Charisma sancti Spiritus.

O R A T I O.

CONCEDE quæsumus omnipotens
Deus, vt qui solennitatem doni Spiritus
sancti colimus, cœlesti desiderio accen-
si fontem vitæ sitiamus.

A L I A.

PRÆSTA quæsumus omnipotēs Deus,
vt claritatis tuæ super nos splendor ef-
fulgeat,

fulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum qui per gratiam tuam renati sunt, sancti Spiritus illustratione confirmet, Per eund.

A L I A.

DEVS qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de eius semper consolatione gaudere, Per eundem Dominum &c.

A L I A.

DEVS qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, cōcede plebi tuæ, piæ petitionis effectum, vt quibus dedisti fidem largiaris & pacem, Per &c.

A L I A.

AS S I T nobis, quæsumus Domine virtus sancti Spiritus, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis. Per eundem &c.

A L I A.

ME N T E S nostras quæsumus, paracletus qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius veritatem, Qui te in eiusdem &c.

A L I A.

P R Æ S T A

PRÆSTA quæsumus omnipotens & misericors Deus, vt Spiritus sanctus adueniens templum nos gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat, Per eund.

ALIA.

DA quæsumus, Ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt Spiritu sancto cōgregata, hostili nullatenus incursiōe turbetur, Per &c.

V.

FORMVLAE PRECAN-
DI, EX MEDITATIONE
natiuitatis Christi.

AUGVSTI. MEDITA.

Cap. 15.

OIMMENS A pietas, o inæstimabilis charitas, vt liberares seruum, Filium tradidisti, DEVS factus est homo, vt perditus homo de potestate dæmonum eruere-
tur. Quam benignissimus amator hominū, Filius tuus Deus noster, cuius pijs visceribus non satis visum est, vt se inclinaret, factus homo de vera virgine Maria, nisi etiā subiret crucis supplicium, effuso sanguine propter nos, & propter nostram salutem.

Venit

Venit pius Deus, venit pro pietate, & bonitate sua, venit quærere & saluum facere quod perierat. Quæsiuit ouem perditam, quæsiuit & inuenit, & humeris suis reportauit ad caulas gregis. Pius Dominus & vere multum pius Pastor. O charitas, O pietas, quis audiuit talia? quis super tanta misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collætetur ppter nimiam charitatē tuam, qua nos dilexisti? Misisti Filium tuum in similitudinē carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum, vt nos efficeremur iustitia tua in ipso. Ipse enim est verus Agnus immaculatus, qui abstulit peccata mundi, qui mortē nostrā moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Sed quid tibi retribuere possumus Deus noster, pro tantis beneficijs misericordiæ tuæ? Quas laudes, quas gratiarum actiones? Etiam si illa Angelorū scientia & potentia nobis foret, nihil tamen dignum tantæ pietati & bonitati tuæ recōpensare valeremus. Si certe omnia membra nostra verterētur in linguas ad rependendum tibi debitas laudes, nequaquā sufficeret exiguitas nostra. Supereminet enim omnem scientiam tua inæstimabilis charitas, quam ostendisti nobis indignis, pro sola bo-

la bonitate & pietate tua. Filius nāq; tuus
 D E V S noster, non Angelos, sed semen
 Abrahæ apprehendit, alsimilatus nobis
 per omnia absq; peccato. Humanam itaq;
 non Angelicam suscipiens naturā, & eam
 stola sanctæ resurrectiōis & immortalitatis
 glorificans, vexit super omnes cœlos, su-
 per omnes choros Angelorum, super Che-
 rubin & Seraphin, collocans ad dexterā tu-
 am. Hanc autem laudant Angeli, adorant
 dominationes & omnes virtutes cœlorū
 tremunt super se, & super hominem D E-
 V M. Hæc namq; mihi tota est spes omnis-
 que fiducia. Est enim in ipso I E S V C H R I-
 S T O Domino nostro, vniuscuiusq; no-
 strum portio, caro, & sanguis. Vbi ergo
 portio mea regnat, ibi me regnare credo.
 Vbi caro mea glorificatur, ibi gloriosum
 me esse cognosco. Vbi sanguis meus do-
 minatur, ibi dominari me sentio. Quamuis
 peccator sim, de hac communionem gratiæ
 non diffido. Etsi peccata mea prohibent,
 substantia mea requirit. Etsi delicta mea
 me excludunt, naturæ cōmunio nō repel-
 lit. Nō enim tā immitis est Deus, vt obli-
 uiscatur hominis, & non meminerit ipsius
 quem ipse gestat, & quem mei causa susce-
 pit, eius quem mei causa requirit. Mi-
 tis

tis vero & valde benignus est Dominus
 Deus noster, & diligit carnē suam & visce-
 ra sua, in ipso Deo & Domino nostro Iesu
 Christo, dulcissimo, benignissimo atq; cle-
 mentissimo, in quo resurreximus, & iam
 cœlos ascendimus, & iam in cœlestib. con-
 sedimus. Caro nostra nos diligit. Habe-
 mus autē sanguinis nostri prærogatiuā in
 ipso. Sumus autē membra eius, & caro ei-
 us, ipse vero est caput nostrum, ex quo to-
 tum corpus, sicut scriptū est, Os ex ossib.
 meis, & caro de carne mea, & erunt duo
 vna. Pro hoc magno mysterio pietatis, be-
 nedico & glorifico nomen sanctum tuum.
 Rex Christe Fili Mariæ, Fili Dei viuentis,
 tibi sit honor & gloria cū Patre & Spiritu
 sancto in sempiterna secula, A M E N.

AUGUSTI. MEDITA.

Cap. 15.

BE N E D I C O nomen sanctum tuum
 in æternum, & glorifico ex toto corde
 meo omnipotens & misericors Domine,
 pro inenarrabili & mirabili cōiunctione di-
 uinitatis & humanitatis in vnitare perso-
 næ, vt nō alter Deus, alter homo esset, sed
 vnus idemq; Deus & homo, homo & De-
 us. Sed licet mirabili dignatione verbū ca-

ro factum sit, neutra tamen ex duab. naturis in aliam mutata est substantiã. Trinitatis mysterio quarta nõ est addita persona, vnica quippe est, non confusa verbi DEI hominisq; substãtia, vt in Deum, quod ex nobis susceptum fuerat, perueniret, & illud quod nunquam fuerat, idem quod semper fuerat permaneret. O admirabile mysterium. O inenarrabile commercium. O mira semperq; mirãda, semperq; amãda diuinæ propitiationis benignitas, serui digni non fuimus, & ecce filij Dei facti sumus, hæredes quidem Dei, cohæredes autẽ Christi. Vnde hoc nobis? & quis nos ad hoc perduxit? Sed rogo te clementissime Pater Deus per hanc inæstimabilẽ pietatẽ, bonitatem & charitatem tuam, vt dignos nos facias multis & magnis promissionibus eiusdem Filij tui, Domini nostri Iesu Christi. Manda virtuti tuæ & confirma hoc quod operatus es in nobis, perfice quod cœpisti, vt ad plenã tuæ pietatis gratiã mereamur peruenire. Fac nos per Spiritũ sanctum intelligere & mereri, & debito semper honore venerari hoc magnũ pietatis mysteriũ, quod manifestum est in carne, iustificatũ est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatũ est gentibus, creditũ est in mundo, assum-

ptum

ptum est in gloria, per eundem Filium tuū
redemptorem nostrum, A M E N.

ECCLESIA.

GLORIA in excelsis DEO, & in ter-
ra pax, hominibus bonæ voluntatis,
Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus
te, Glorificamus te, Gratias agimus tibi
propter magnam gloriam tuam, Domine
Deus Rex cœlestis, Deus Pater omnipo-
tens, Domine Fili vnigenite IESV CHRI-
STE, Domine Deus agnus Dei, Filius Pa-
tris, qui tollis peccata mundi, miserere no-
bis, Qui tollis peccata mundi, suscipe de-
precationem nostram, Qui sedes ad dexte-
ram Patris, miserere nobis, Quoniam tu so-
lus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus al-
tissimus Iesu Christe, cum sancto Spiritu in
gloria Dei Patris, A M E N.

PSALM. 72.

DEVS iudicium tuum regi da, & iusti-
ciam tuam filio regis.

Vt iudicet populum tuum in iusticia, &
pauperes tuos in iudicio.

Afferent montes pacem populo, & col-
les iusticiam.

H Iudi-

Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & conteret calumniatorem.

Timebunt te quam diu Sol & Luna erūt in generatione & generationem.

Descendit sicut pluuia in vellus, & sicut stillicia stillantia super terram.

Florebit in diebus eius iustus, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.

Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum.

Coram illo procident, qui in deserto sūt, & inimici eius puluerem lingent.

Reges maris & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducunt.

Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.

Quia liberabit pauperem clamantem, & pauperem cui non erat adiutor.

Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet.

A fraude & violentia redimet animas eorum, & preciosus sanguis in oculis ipsius.

Et viuet, & dabit ei de auro Arabia, & adorabunt ipsum semper, tota die benedicent ei.

Et

Et erit copia frumenti in terra, in vertice montium mouebitur sicut Libanus fructus eius, & florebut in ciuitate sicut herba terræ.

Erit nomen eius in secula, quam diu Sol erit, nomen eius prorogabitur, & benedicentur in ipso, omnes gentes magnificabunt eum.

Benedictus Dominus Deus, Deus Israël, qui facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra, A M E N, A M E N.

PSALM. 132.

IVR A V I T Dominus Dauid veritatē, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filij tui testamentum meum & testimonia mea hæc quæ docebo eos, Et filij eorum vsq; in seculum, sedebūt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

Victui eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus.

H 2

Sacer-

Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exultatione exultabunt.

Illic crescere faciam cornu Dauid, paravi lucernam Christo meo.

Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem effloreat corona eius.

H Y M N V S.

GR A T E S nunc omnes reddamus Domino Deo,

Qui sua natiuitate nos liberauit, de Diabolica potestate.

Huic oportet vt canamus cum Angelis semper, G L O R I A I N E X C E L S I S.

H Y M N V S.

EI A recolamus laudibus pijs digna, huius diei carmina.

In qua nobis oritur lux gratissima.

Noctis interit nebula, pereunt nostri criminis vmbracula.

Hodie seculo Maris stella est enixa, novæ salutis gaudia.

Quem tremunt Barathra, mors pauet ipsa, à quo peribit mortua.

Gemit capta pestis antiqua, Coluber liquidus perdit spolia.

Homo lapsus, Ovis abducta, reuocatur ad æterna gaudia.

Gaudent

Gaudent in hac die agmina Angelorum
coelestia.

Quia erat drachma decima perdita, &
est inuenta.

O culpa nimium beata, qua redempta est
natura.

DEVS qui creauit omnia, nascitur ex
foemina.

O mirabilis natura mirifice induta.

Assumens quod non erat, manens quod
erat.

Induitur natura diuinitas humana.

Quis audiuit talia, dic rogo facta?

Quærere venerat pastor pius quod perie-
rat.

Induit galeam, certat vt miles armatura,

Prostratus in sua propria, ruit hostis spi-
cula.

Auferuntur tela in quibus confidebat.

Diuisa sunt illius spolia, capta præda sua.

Christi pugna fortissima, salus nostra est
vera.

Qui nos suam ad patriam, duxit post vi-
ctoriam.

In qua sibi laus est æterna.

H Y M N V S A M B R O .

V E N I redemptor gentium:

H 3

Ostendi

Ostende partum virginis.

Miretur omne seculum :

Talis decet partus Deum.

Non ex virili semine :

Sed mystico spiramine :

Verbum Dei factum est caro.

Fructusq; ventris floruit.

Aluus tumescit virginis :

Claustra pudoris permanent,

Vexilla virtutum micant :

Verfatur in templo Deus.

Procedens de thalamo suo,

Pudoris aula regia.

Geminæ gigas substantiæ,

Alacris vt currat viam.

Egressus eius à Patre:

Regressus eius ad Patrem.

Excursus vsq; ad inferos :

Rekursus ad sedem Dei.

Æqualis æterno Patri

Carnis trophæo accingere:

Infirma nostri corporis

Virtute firman perpetim.

Præsepe iam fulget tuum :

Lumenq; nox spirat nouum.

Quod nulla nox interpolet,

Fideq; iugi luceat.

Gloria tibi Domine:

Qui

Qui natus es de virgine.
 Cum Patre & sancto Spiritu:
 In sempiterna secula, A M E N.

H Y M N V S A M B R O.

C O N D I T O R alme siderum,
 Æterna lux credentium,

C H R I S T E redemptor omnium,
 Exaudi preces supplicum.

Qui condolens interitu

Mortis perire seculum:

Saluasti mundum languidum:

Donans reis remedium.

Vergente mundi vespere:

Vti sponsus de thalamo:

Egressus honestissima

Virginis matris clausula.

Cuius forti potentia

Genua curuantur omnia:

Cœlestia terrestria,

Fatentur nutu subdita.

Occasum Sol custodiens,

Luna pallorem retinens:

Candor in astris relucens,

Certos obseruat limites.

Te deprecamur hægic

Venture iudex seculi,

Conserua nos in tempore

H 4

Hostis

Hostis à telo perfidi.

Laus honor virtus gloria

Deo Patri & cum Filio :

Sancto simul Paraclito

In sempiterna secula, A M E N.

HYMNVS SEDVLII.

ASOLIS ortus cardine

Ad vsq; terræ limitem

CH R I S T V M canamus Principem

Natum Maria virgine.

Beatus autor seculi

Seruile corpus induit,

Vt carne carnem liberans

Ne perderet quos condidit.

Castæ parentis viscera,

Cœlestis intrat gratia,

Venter puellæ baiulat,

Secreta quæ non nouerat.

Domus pudici pectoris,

Templum repente fit D E I,

Intacta nesciens virum :

Verbo concepit filium.

Enixa est puerpera

Quem Gabriel prædixerat,

Quem matris alio gestiens :

Clausus I O A N N E S senserat.

Fœno iacere pertulit :

Præ-

Præsepe non abhorruit,
 Paruoq; lacte pastus est,
 Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus cœlestium,
 Et Angeli canunt DEO,
 Palamq; fit pastoribus
 Pastor creator omnium.

Gloria tibi Domine,
 Qui natus es de virgine,
 Cum Patre & sancto Spiritu:
 In sempiterna secula, AMEN.

CANTI. MARIE.

LUC. I.

Magnificat anima mea Dominum.
 Et exultavit spiritus meus, in Deo
 salutari meo.

Quia respexit ad humilitatē ancillæ suæ.
 Ecce enim ex hoc beatā me dicent om-
 nes generationes.

Quia fecit mihi magnifica qui potēs est,
 & sanctum nomen eius.

Et misericordia eius in progeniē & pro-
 geniem, timentibus ipsum.

Præstitit robur per brachium suum, dis-
 persit superbos cogitatione cordis ipsorum.

Detraxit potentes de sedibus, & euexit
 humiles.

H 5

Esu-

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Suscepit Israël puerum suum, vt memor esset misericordiæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, nimirum Abraham & semini eius in seculum.

CANTICVM ZACHARIAE
LUC. I.

LAUDANDVS Dominus Deus Israel, quia visitauit & fecit redemptionem populo suo.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt Prophetarum suorum.

Fore vt seruaremur ab inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.

Vt vteretur misericordia erga patres nostros, ac memor esset testamenti sui sancti.

Præstaretq; iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, ac daret nobis.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus ipsi.

Cum sanctitate & iusticia coram ipso, cunctis diebus vitæ nostræ.

Et

Et tu puer Propheta altissimi vocaberis,
præibis enim ante faciem Domini parare
vias eius.

Ad dandam scientiam salutis populo ip-
sius, per remissionem peccatorum eius.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, qui-
bus visitauit nos oriens ex alto.

Vt illucesceret his qui in tenebris, & in
vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes
nostros in viam pacis.

HYMNVS.

CORDE natus ex parentis,
Ante mundi exordium,
Alpha & ω cognominatus,
Ipsè fons & clausula,
Omnium quæ sunt quæ fuerunt
Et quæcunq; post futura sunt, seculorum se-
culis.

O beatus ortus ille,
Virgo cum puerpera,
Edidit nostram salutem,
Fœta sancto Spiritu:
Et puer redemptor orbis,
Os sacratum protulit, seculorum seculis.

Pfallat altitudo cœli.
Pfallant omnes angeli
Quicquid est virtutis vsquam,
Pfal-

80 DE NATIVITATE

Pfallat in laudem Dei
Nulla linguarum filescat
Vox & omnis consonet, seculorum seculis.

Ecce quem vates vetustis
Concinebant seculis
Quem Prophetarum fideles paginae spo-
ponderant Emicat promissus olim.
Cuncta collaudent eum, seculorum seculis.

Te senes & te iuventus
Te paruulorum chorus
Turba matrum virginumq;
Simplices puellulae
Voce concordēs pudicis
Strepant concentibus, seculorum seculis.

Tibi Christe sit cum Patre
Hagioq; pneumate
Hymnus, melos, laus perennis
Gratiarum actio
Bonorum virtus, victoria
Regnum aeternaliter, seculorum seculis A-
M E N.

PROSA DE NATIVITA-
te Christi.

GRATES nunc omnes reddamus Do-
M I N O Deo, qui sua natiuitate, nos
liberauit de diabolica potestate.

Huic oportet vt canamus cum angelis,
semper

semper G L O R I A I N E X C E L S I S.

Natus ante secula Dei filius inuisibilis in-
terminus.

Per quem fit machina coeli & terræ ma-
ris & in ijs degentium.

Per quem dies & horæ labant, & se ite-
rum reciprocant.

Quem angeli in arce poli, voce consona
semper canunt.

Hic corpus assumserat fragile sine labe
originalis criminis, de carne Mariæ virgi-
nis, quo primi parentis culpam, Euæq; las-
ciuiam tergeret.

Hoc præsens diecula, loquitur præluci-
da, adaucta longitudine, quod sol verus ra-
dio sui luminis vetustas mundi depulerit
penitus tenebras.

Nec nox vacat noui, fideris luce quod
magorum oculorum terruit pios.

Nec gregū magistris defuit lumen, quos
perstrinxit claritas militum Dei.

Gaude D E I genitrix quam circum-
stant obstetricium vice concinentes angeli
gloriam Deo.

Christe patris vnice qui humanā nostri
caussa formā assūfisti, refoue supplices tuos.

Et quorū te participem fore dignatus es
I E S V, dignanter eorum suscipe preces.

Vt

Vt ipsos diuinitatis tuæ participes facere digneris, vnice Dei.

O R A T I O.

IN mentibus nostris quæsumus Domine veræ fidei sacramenta confirma, vt qui conceptum de virgine Deū verū & hominem confitemur, per eius salutiferæ resurrectionis potentiam, ad æternam mereamur peruenire licentiam, Per eund.

A L I A.

GRATIAM tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, vt qui angelo nuntiante Christi filij tui natiuitatem cognouimus, Per passionem eius & crucem ad resurrectionis gloriam perducamur.

A L I A.

EXCITA quæsumus Domine corda nostra ad præparandas vnigeniti filij tui vias, vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus seruire mereamur, Qui viuis & regnas in secula seculorum, A M E N.

A L I A.

CONCEDE quæsumus omnipotens Deus, vt qui sub peccati iugo, ex vetusta seruitute deprimimur, expectata vnigeni-

niti filij tui noua natiuitate liberemur, Qui
 uiuis &c.

A L I A.

INDIGNOS nos quæsumus Domine
 famulos tuos, quos actionis propria cul-
 pa contristat, vnigeniti filij tui aduentu læ-
 tifica, Qui uiuis &c.

A L I A.

PRÆSTA quæsumus omnipotens De-
 us, vt filij tui ventura solennitas, & præ-
 sentis nobis vitæ remedia conferat, & præ-
 mia æterna concedat, Per eundem.

A L I A.

DEVS qui hanc sacratissimã noctem ve-
 ri luminis illustratione fecisti claresce-
 re: da quæsumus vt cuius lucis mysteria in
 terra cognouimus, eius quoq; gaudijs in cœ-
 lo perfruamur, Per &c.

A L I A.

DA quæsumus omnipotens Deus, vt
 qui noua incarnati verbi tui luce per-
 fundimur, hoc in nostro resplendeat opere,
 quod per fidem fulget in mente, Per &c.

A L I A.

CON-

84 DE NATIVITATE

CONCEDE quæsumus omnipotens
Deus, vt nos vnigeniti tui noua per car-
nem natiuitas liberet, quos sub peccati iugo
vetusta seruitus tenet, Qui tecum &c.

ALIA.

PRÆSTA quæsumus omnipotens De-
us vt natus hodie Saluator mundi sicut
diuinæ nobis gubernationis est auctor, ita
& beatæ immortalitatis sit semper ipse lar-
gitor, Qui tecum &c.

VI.

FORMVLAE PRECAN-
DI EX MEDITATIONE
Passionis Christi Filij Dei
viuentis.

AUGVSTI. MEDITAT.
Cap. 5. & 6.

OMNIPOTENS sempiternæ De-
us, te oro, vt me, cui propria merita
lætalem minantur sententiam, preciosissi-
mæ ad dexteram tuam confidentis prolis
interpellatione restaurare digneris ad vitã.
Quem enim alium dirigam intercessorem
tibi

tibi nescio, nisi hunc, qui est propitiatio pro peccatis nostris. Ecce Aduocatus meus apud te Deum Patrem. Ecce Pontifex summus, qui non alieno eget expiari sanguine, qui proprio refulget perfusus cruore. Ecce hostia sancta, bene placens & perfecta, in odorem suauitatis oblata & accepta. Ecce Agnus sine macula, qui coram se tondentibus obmutuit, qui alapis cæsus, sputis illitus opprobrijs affectus, os suum non aperuit: En qui peccatum non fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros suo liuore sanauit. Aspice Pater pie, pijsimum Filium, pro me tam impia passum. Respice clementissime Rex quis patitur, & reminiscere benignus, pro quo patitur. Nōne est hic mī Domine, innocens ille, quem vt Seruum redimeres, Filium tradidisti? Nunquid non autor vitæ hic est, qui vt Ouis ad occisionem ductus, vbiq; vsq; ad mortem obediens factus, atrocissimæ non timuit necis genus subire? Recole totius salutis dispēsator, quia hic est ipse, quem etsi ex tua virtute genuisti, meæ tamen infirmitatis participē fieri voluisti. Vere hæc est tua Deitas, quæ meam induit naturam, crucis ascendit patibulū, quæ in assumpta carne triste tulit suppliciū. Reduc Domine Deus meus oculos

I

tuæ

tuæ Maiestatis super opus ineffabilis pietatis. Intuere dulcem natum, toto corpore extensum, cerne manus innoxias, pio manâtes sanguine, & remitte placatus scelera, quæ patrarunt manus meæ. Cõsidera inermelatus crudeli perfossũ cuspide, & renouame sacro fonte, quem inde credo fluxisse. Vide immaculata vestigia, quæ non steterunt in via peccatorum, sed semper ambulauerunt in lege tua, diris confixa clavis, & perfice gressus meos in semitis tuis, & fac me odio habere benignus omnes vias iniquitatis, viã iniquitatis amoue à me, & fac me propitius viam veritatis eligere. Oro te Rex sanctorũ per hunc sanctũ sanctorũ, per hunc redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, vt ei valeam spiritu vniri, qui mea non horruit carne vestiri. Nunquid nõ attendis pie Pater adolescentis Filij charissimi caput niuea ceruice deflexa, preciosissimã resolutum in mortẽ? Aspice mitissime conditor dilectæ sobolis humanitatẽ, & miserere super infirmi plasmatis debilitatem. Candet nudatũ pectus, rubet cruentũ latus, tensa arent viscera, decora languet lumina, regia pallent ora, procerarigent brachia, crura pendent marino-rea, rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda.

unda. Specta gloriose Genitor gratissimæ
 prolis lacerata membra, & memorare be-
 nignus, quæ mea est substantia, Conspica-
 re Dei hominis pœnam, & relaxa conditi
 hominis miseriam. Vide redemptoris suppli-
 cium, & redempti dimitte delicta. Hic est
 Domine mi, quem propter peccata populi
 tui percussisti. Hic est ille innocens in quo
 dolus non est inuentus, & tamen inter ini-
 quos deputatus est. Qui tecum viuit & re-
 gnat in vnitate Spiritus sancti Deus per om-
 nia secula seculorum, A M E N.

AUGUSTI. MEDITAT.

Cap. 7.

QUID commisisti dulcissime puer, vt
 sic iudicareris? Quid cõmisisti aman-
 tissime iuuenis, vt adeo tractareris? Quod
 scelus tuum, quæ noxa tua, quæ causa mor-
 tis, quæ occasio tuæ damnationis? Ego sum
 tui plaga doloris, tuæ culpa occisionis. Ego
 tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagi-
 tium. Ego tuæ pansionis liuor, tui cruciatus
 labor. O mirabilis censuræ conditio, & in-
 effabilis mysterij dispositio. Peccat iniquus,
 & punitur iustus, Delinquit reus, & vapu-
 lat innocens, Offendit impius & damnatur
 pius. Quod meretur malus, patitur bonus.

I 2

Quod

Quod perpetrat seruus, exsoluit Dominus.
 Quod cōmittit Homo, sustinet Deus. Quo
 nate Dei, quo tua descēdit humilitas? Quo
 tua flagrauit charitas? Quo tuus attigit a-
 mor? Quo peruenit compassio? Ego enim
 inique egi, tu pœna mulctaris. Ego facinus
 admisi, tu vltione plecteris. Ego superbiui,
 tu humiliaris, Ego tumui, tu attenuaris. E-
 go inobediens extiti, tu obediēs scelus ino-
 bedientiæ luis. Ego gulæ parui, tu inedia af-
 ficeris. Me ad illicitam concupiscentiam ra-
 puit ardor, te perfecta charitas duxit ad
 crucē. Ego præsumpsi vetitum, tu subiijsti a-
 culeū. Ego delector cibo, tu laboras patibu-
 lo. Ego frupr delicijs, tu laniaris clauis. Ego
 pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritu-
 dinē, mihi ridens congaudet Eua, tibi plo-
 rans compatitur Maria. Ecce Rex gloriæ,
 Ecce mea impietas & tua claret pietas. En
 mea iniustitia, & tua liquet iustitia. Quid
 Rex meus, & Deus meus, quid retribuam
 tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Nō
 enim inueniri potest in corde hominis,
 quod cōdigne talib. referatur præmijs. Nū
 quid sagacitas machinari potest humana,
 cui cōparetur miseratio diuina? Nec est cre-
 aturæ moliri officiū, quo iustè creatoris re-
 cōpenset præsidium. Est autē nate Dei in
 hoc

hac tua admirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppeditet, si tua visitatione compuncta mens, carnem suam crucifigat cum vitijs & concupiscentijs, quod vt fiat, tu Domine Iesu Christe tuo me Spi-
ritu rege & gubernas, A M E N.

AUGUSTI. MEDITAT.

Cap. 8.

OMNIPOTENS Deus Pater Domini mei, quaeso miserearis mei, quoniam quicquid preciosius inueni, deuote obtuli, quicquid charius reperi, suppliciter praesentavi. Nihil mihi reliqui, quin tuae exposuerim Maieitati, nihil iam superest quod adiciam, quia totam tibi delegavi spem meam. Direxi tibi aduocatum meum, dilectum filium tuum, mihi gloriosam progeniem inter me & te mediatorem, nisi inquam intercessorem, per quem confido veniam, nisi verbis verbum, quem pro meis dixi missum factis, & numeravi tibi sanctissimae sobolis passionem, quam pro me credo fuisse perpeffam. Credo a te missam Deitatem, meam suscepisse humanitatem, in qua dignum duxit alapas, vincula, sputa, irrisiones perferre, nec non crucem, clauos, telumque suscipere. Hanc olim infantiae vagitibus

I 3

de-

demolitam, pueritiæ pannis cōstrictam, iu-
uentutis sudoribus vexatam, ieiunijs ma-
ceratam, vigilijs afflictam, itineribus fessam,
postea affectā flagris, laceratam supplicijs,
deputatam cum mortuis, dotatā gloria re-
surrectionis, cœlorum gaudia induxit, & in
dexteram tuæ celsitudinis collocavit. Hæc
placatio mea & propitiatio tua. Hic attēde
pius quē genueris filium, & quem redeme-
ris seruum. Hic aspice factorem, & ne despī-
cias facturam. Amplectere ferenum Pasto-
rem, & respice misericors allatam proprijs
humeris ouem. Hic est fidelissimus Pastor
ille, qui dudum errabundam per abrupta
montium, per præcipitia vallium multis va-
rijsq; quæsierat laboribus. Quiq; iam mori-
enti, iam per longa exilia deficienti, tamen
inuentæ gaudens supposuit, & miro sibi an-
nisu charitatis à profunda confusionis abyf-
so leuauit, pijsq; astrictam complexibus ad
nonaginta nouem vnā quæ perierat re-
portauit. Ecce Domine mi Rex Deus om-
nipotens, Ecce Pastor bonus refert tibi
quod commisisti ei. Suscepit te disponente
ad saluandum hominem, quem tibi restituit
omni labe immunem. Ecce tuū tibi charis-
simus natus plasma reconciliauit, quod à te
procul deuiavit. En gregi tuo Pastor mitis
refor-

reformat, quod prædo violentus abegerat. Reddit tuis conspectibus seruum, quem sua fecerat conscientia fugitiuum, vt qui per se meruit pœnam, per factionem huius mereatur veniam. Quiq; pro culpis sperabat gehennâ, tanto duce iam cõfidat reuocari ad patriam. Potui per me te sancte Pater offendere, sed non valui per me placare. Factus est adiutor meus Deus meus tuus dilectus Filius, meam participans humanitatē, vt curaret infirmitatē, quatenus vnde causa emerferat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis, meq; per hoc redderet tuæ pietati placabilē, quo sedens ad dexteram tuam semper meæ substantiæ se ostenderet esse consortem. Ecce spes mea, ecce tota fiducia mea, Si me pro mea, vt dignum despicias iniquitate, respice me saltem misericors pro dilectæ sobolis charitate. Attende in filio quo ppitieris seruo, Vide carnis Sacramentum, & remitte carnis reatū, Quotiens beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant obsecro scelera mea. Quotiens rubet preciosus pio de latere sanguis, diluatur obsecro labes meæ pollutionis. Et quia caro te laceſsiuit ad iram, caro te flectat obsecro ad misericordiam, & sicut me caro seduxit ad culpam, caro deducat ad veniam.

Multum namq; est quod mea meretur impietas, longe autē maius quod redemptoris mei reposcit iure pietas. Magna enim est mea iniustitia, satis vero maior redemptoris iustitia. Quāto namq; est superior Deus homine, tāto mea malitia est inferior eius bonitate, in qualitate & quantitate. Quid enim deliquit homo, quod nō redemerit Filius Dei factus homo? Quæ tanta superbia tunderet, quam non tanta humilitas sterneret? Quodnam tantum mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum Deus meus, si æqua lance delicta peccantis hominis, & redimētis gratia librentur Auctoris, non tantum oriens ab occidēte, sed inferior separatur infernus à summo cœli cardine. Iā lucis optime creator, iam culpis ignosce meis, pro dilecti Filij tui laborib. immensis. Iam eius quæso pietati mea impietas, eius modestiæ mea perversitas, & mansuetudini donetur ferocitas. Iam sua humilitas meam superbiam, patientia impatientiam, benignitas duriciam, obedientia inobedientiam, tranquillitas inquietudinem, dulcedo amaritudinē, suauitas iram, charitas lucrifaciat crudelitatem, Per eundem Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in secula seculorum, A M E N.

AVGV-

AVGVSTI. MEDITAT.

Cap. 14.

DESPERARE VTIQ; potuissē propter nimia peccata, & infinitas negligentias meas, nisi verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo, quia cum inimici essemus, reconciliati sumus per mortē Filij tui. Quanto magis recōciliati salui facti sumus per eum. Omnis nāq; spes, & totius fiducia certitudo mihi est in precioso sanguine eius, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutem. In ipso respiro, & in ipso confisus ad te peruenire desidero. Non habens meam iustitiam, sed eam, quæ est ex Filio tuo Domino nostro Iesu Christo. Unde gratias agimus tibi clementissime & benignissime amator hominū Deus, qui per Iesum Christum Filium tuū Dominum nostrum, cum non essemus, potenter fecisti nos, & cum perditī fuisset culpa nostra, mirabiliter liberaisti & recuperaisti nos. Gratias tibi ago pro passione & cruce eius, pro morte & resurrectione eius, pro assumptione eius in cœlum, & sede Maiestatis eius ad dexteram tuam. Gratias tibi ago pro sacratissima illa effusione preciosi sanguinis eius,

I 5 quo-

quo sumus redēti, simul & pro sacrosancto & viuifico mysterio corporis & sanguinis eius, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur & potamur, abluimur & sanctificamur, & vnius summæ diuinitatis participes effici-
mur. Cum quo tibi, simulq; sancto Spiritui, sit honor, laus & gloria in sempiterna secula, A M E N.

AUGVSTI. MANVALE.

Cap. 13.

O M N I P O T E N S Deus, sancte Pa-
ter, desperare potuissem propter nimia
peccata mea & vitia, culpas & infinitas ne-
gligentias meas quas egi, & quotidie inde-
finenter ago corde, ore, & opere, & omnib.
modis, quib. humana fragilitas peccare po-
test, nisi verbum tuum Deus meus caro ef-
fet, & habitaret in nobis. Sed desperare iam
non audeo; Quoniam subditus ille tibi vsq;
ad mortem, mortem autem crucis, tulit
chirographum peccatorum nostrorum, &
affigens illud cruci, peccatum crucifixit &
mortem, in ipso autem securus respiro, qui
sedet ad dexteram tuam, & interpellat pro
nobis, in ipso cōfusus ad te peruenire deside-
ro, in quo iam resurreximus, iam in cœlum
conscendimus, & in cœlestibus cōsidemus,
tibi

tibi laus, tibi gloria, tibi honor, tibi gratiarum actio, A M E N.

AUGUSTI MANVALE.

Cap. 21.

DEVS amore venit ad homines, factus est homo, Amore Deus inuisibilis seruis suis factus est similis, Amore vulneratus est, ppter delicta nostra. Tuta & firma requies est infirmis & peccatorib. in vulnerib. Saluatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei. Quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina, per quæ affluant. Per foramina corporis patet mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine & charitate. Foderunt manus eius, & pedes eius, & latus eius lancea perforauerunt. Per has rimas licet mihi gustare, quam suavis est Dominus Deus meus, Quoniam reuera suavis & mitis, & multae misericordiae est omnibus eum inuocantib. in veritate, omnibus inquirentibus, & maxime diligentibus, copiosa redemptio
data

data est nobis in vulneribus Iesu Christi
Saluatoris nostri. Te glorifico Domine Iesu
Christe, Redemptor & liberator meus, & lau-
dabo nomen tuum quam diu fuero, Amen.

AUGUSTI. MANVALE.

Cap. 22. & 23.

CVM me pulsat aliqua turpis cogitatio,
recurro ad vulnera CHRISTI. Cū me
premit caro mea, recordatione vulnerum
Domini mei resurgo. Cum Diabolus mihi
parat insidias, fugio ad viscera misericor-
diæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor
libidinis moueat mēbra mea, recordatione
vulnerū Domini nostri Filij Dei extingui-
tur, in omnibus aduersitatibus non inueni
tam efficax remediū quā vulnera Christi.
in illis dormio securus, & requiesco intre-
pidus. Christus mortuus est pro nobis, nihil
tam ad mortem amarū, quod morte Chri-
sti non sanetur, Tota spes mea est in morte
Domini mei, Mors eius meritum meum,
refugium meum, vita & resurrectio mea.
Meritum meum miseratio Domini, non
sum meriti inops, quam diu ille miseratio-
num Dominus nō defuerit. Et si misericor-
diæ Domini multæ, multus ego sum in me-
ritis. Quanto ille potentior est ad saluandū,
tanto

tanto ego sum securior. Peccaui peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum, nec sic despero. Quoniam ubi abundauerunt delicta, superabundauit & gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem. Magnam iniuriam Deo facit, qui de eius misericordia diffidit. Quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem & potestatem, in quibus tota spes mea consistit, scilicet in charitate adoptionis, in veritate promissionis, & in potestate redemptionis. Murmuret iam quantum voluerit insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu, & quanta est gloria illa, quibusue meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, quia in charitate nimia ad optauit me in filium, qui verax est in promissione, potens in exhibitione, & licet ei facere quod vult. Non possum terreri, multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem meam venerit, quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clauus & lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amauero. Longius aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi requiesco securus. Extendit brachia sua in cruce, & expandit manus suas, paratus

tus

tus in amplexus peccatorum inter brachia
Saluatoris mei, & viuere volo, & mori cu-
pio, ibi securus decatabo. Exaltabo te Do-
mine, quoniam suscepisti me, nec delectasti
inimicos meos super me.

ECCLESIA.

DOMINE IESU CHRISTE Fi-
li Dei viui, pone passionem, crucem, &
mortem tuam, intra iudicium tuum & ani-
mam meam, nunc & in hora mortis meæ,
Et semper largiri digneris, viuis misericor-
diam & gratiam, Ecclesiæ tuæ pacem &
concordiam, & nobis peccatorib. vitam &
gloriam sempiternā. Qui viuis & regnas cū
Deo patre in vnitate Spiritus sancti Deus,
per omnia secula seculorum, A M E N.

In passione Domini,
Qua salus datur homini,
Fit nostrum refrigerium,
Et cordis desiderium.

Portemus in memoria,
Pœnas & opprobria,
Christi coronam spineam,
Crucem clauos & lanceam.

Et plagas sacratissimas,
Omni laude dignissimas,
Acetum, fel, arundinem,

Et

Et mortis amaritudinem.

Hæc omnia nos fatient,

Et dulciter inebrient,

Nos repleant virtutibus,

Et gloriosis fructibus.

Te crucifixum colimus,

Et corde toto poscimus,

Vt nos Sanctorum cœtibus,

Coniungas in cœlestibus.

Laus, honor Christo vendito,

Et sine causa prodito,

Passo mortem pro populo,

In aspero patibulo, A M E N.

DOMINE IESU CHRISTE Fi-
li Dei viui, qui hora matutinali pro sa-
lute humana, nasci, tradi, ligari, conspui vo-
luisti, Fac nos quæsumus cõtumelias & op-
probria, pro nominis tui gloria lætanter
& patienter suscipere, & sic huiusmodi tuæ
sacratissimæ passionis memoriam continue
recordari, vt ad resurrectionis tuæ gloriam
& consortiũ mereamur feliciter peruenire.

Vt qui velatus facie,

Fuisti sol iustitiæ,

Flexis illusus genibus,

Cæsus quoq; verberibus.

Te petimus attentius,

Vt sis nobis propitius,

Per

Per tuam clementiam,
Perducas nos ad gloriam.

Laus honor Christo vendito, &c.

DOMINE IESU CHRISTE Fi-
li Dei viui, qui hora diei prima Pilato
præsentatus es, Iudex iudicum, durissimum
iudicium pertulisti, tibi deuotissime suppli-
camus, vt nobis miseris peccatoribus sub-
uenias iudicando.

Ne in extremo iudicio,
Æterno damnemur supplicio,
Sed tuis fidelibus,
Mereamur sociari in coelestibus.

Hora qui ductus tertia,
Fuisti ad supplicia,
Christe ferendo humeris,
Crucem pro nobis miseris.

Fac nos sic te diligere,
Sanctamq; vitam ducere,
Vt mereamur requie,
Frui coelestis patriæ.

Laus honor Christo vendito, &c.

DOMINE IESU CHRISTE Fi-
li Dei viui, qui hora diei tertia ad cru-
cis poenam pro salute mundi ductus es, te
suppliciter exoramus, vt per virtutem tuæ
sacratissimæ passionis omnia peccata nostra
deleas,



deleas, & ad tuæ beatitudinis gloriam nos
misericorditer perducas.

Crucem pro nobis subiit,
Et stans in illa sitit,

I E S V S sacratis manibus,

Fossis clavis & pedibus.

Honor & benedictio,

Sit crucifixo Filio,

Qui nos suo supplicio,

Redemit ab exilio:

Laus honor Christo vendito, &c.

DOMINE IESV CHRISTE Fi-
li Dei viui, qui hora diei sexta, in Gol-
gatha cum magno tumultu crucis patibu-
lum ascendisti, in qua salutem nostram si-
tiens, felle & aceto te potari permisisti, te
suppliciter deprecamur, vt accenso & in-
flammato corde nostro, sitire nos facias ca-
licem tuæ passionis, & in te sic Domino
crucifixo iugiter delectari.

Beata CHRISTI passio,

Sit nostra liberatio,

Vt per hanc nobis gaudia,

Parata sint cœlestia.

Gloria CHRISTO Domino,

Qui pendens in patibulo,

Clamans emisit spiritum,

K

Mun-

Mundumq; saluans perditum.
 Laus honor Christo vendito, &c.

DOMINE IESVCHRISTE Fi-
 li Dei viui, qui hora diei nona expansis
 in cruce manibus, & inclinato capite Deo
 Patri spiritū tradidisti, & clauē mortis tuæ
 dignissimæ Paradysum reserasti, concede
 nobis supplicibus tuis, vt in hora mortis no-
 stræ, animas nostras ad te, qui verus Para-
 dysus es, facias misericorditer peruenire.

Qui pressura mortis dura,
 Soluisti nexus criminum,
 Nos ad pacem duc veracem,
 IESV corona virginum.

In flagellis potum fellis
 Bibisti amarissime,
 Pro peccatis perpetratis
 Æterne rex altissime.

Nostræ genti te colenti,
 Tuæ mortis supplicium,
 Da virtutem & salutem,
 IESV redemptor omnium.

In amara crucis ara,
 Fudisti riuos sanguinis,
 Iesu digne, Rex benigne,
 Consors paterni luminis.

Sanguis CHRISTI qui fuisti,
 Perem-

Peremptor hostis inuidi,
 Fac secure nos venire,
 Ad cœnam agni prouidi.

Laus honor Christo vendito, &c.

DOMINE IESU CHRISTE Fi-
 li Dei viui, qui hora diei vespertina, iã
 morte perẽptus de cruce deponi, & in tuæ
 matris manibus, vt pie creditur, recipi vo-
 luisti, concede propitius, vt depositis pec-
 catorum nostrorum sarcinis, ante conspe-
 ctum diuinæ Maiestatis tuæ præsentari va-
 leamus.

Qui iacuisti mortuus,
 In petra rex innocuus,
 Fac nos in te quiescere,
 Vitamq; sanctam ducere.

Succurre nobis Domine,
 Quos redemisti sanguine,
 Et duc nos ad suauia,
 Æternæ lucis gaudia,

Laus honor Christo vendito, &c.

DOMINE IESU CHRISTE Fi-
 li Dei viui, qui hora completorij in se-
 pulchro quieuisti, & à matre tua mœstissi-
 ma, & ab alijs mulieribus planctus & lamen-
 tatus fuisti, fac nos quæsumus tuæ passionis
 lacrymis abundare, & tota cordis deuotio-

ne ipsam sanctissimam passionem plágere,
& eam semper quasi recentem, ardenti cor-
dis desiderio retinere, A M E N.

P S A L M. 22.

DEVS meus, Deus meus, quare me de-
reliquisti? longe à salute mea abes, & à
verbis rugitus mei.

Deus meus clamabo per diem; & non
respondes, & etiam nocte non fileo.

Tu autem sanctus, habitans in laudibus
Israël.

In te sperauerunt patres nostri, speraue-
runt & liberaisti eos.

Ad te clamauerunt & salui facti sunt, in
te sperauerunt & non sunt confusi.

Ego autem sum vermis & non homo,
opprobrium hominum & abiectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me, ape-
ruerunt labia, & mouerunt caput.

Conqueratur Domino, eripiat eum, sal-
uum faciat eum, quoniam beneplacitum est
ei in eo.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ven-
tre, spes mea ab vberibus matris meæ.

In te proiectus sum ex vtero, de ventre
matris meæ, Deus meus es tu.

Ne discesseris à me, quoniam tribulatio
proxi-

proxima est, quoniam non est qui adiuuet.

Circumdederunt me boues multi, tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.

Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea, factum est cor meum tanquam cera liquefcens, in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes, consilium malignantium obsedit me, foderunt manus meas & pedes meos.

Dinumerauerim omnia ossa mea, ipsi vero considerauerunt & inspexerunt me.

Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine ne elongeris fortitudo mea, ad defensionem meam festina.

Erue à framea animam meam, & de manu canis vnicam meam.

Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Plura ibidem.

H Y M N V S.

K 3

PATRI

PATRIS sapientia veritas diuina,
 Deus homo captus est hora matutina.
 A suis discipulis cito derelictus,
 Judæis est traditus, venditus, & afflictus.

Hora prima ductus est Iesus ad Pilatū,
 Falsis testimonijs multum accusatus,
 In collo percutiunt, manibus ligatum,
 Vultum Dei conspuunt lumen cœli gratū.

Crucifige clamitant hora tertiarum,
 Illusus induitur veste purpurarum,
 Caput eius pungitur corona spinarum.
 Crucem portat humeris ad locū poenarū.

Hora sexta Iesus est cruci conclauatus,
 Et est cum latronibus pendens deputatus,
 Præ tormentis sitiens felle saturatus,
 Agnus crimen diluit, sic ludificatus.

Hora nona Dominus Iesus expirauit,
 Hely clamans, animam patri cōmendauit,
 Latus eius lancea miles perforauit,
 Terra tunc contremuit, & sol obscurauit.

De cruce deponitur hora vespertina,
 Fortitudo latuit in mente diuina,
 Talem mortem subiit vitæ medicina,
 Heu corona gloriæ iacuit supina.

Hora completorij datur sepulturæ,
 Corpus Christi nobile, spes vitæ futuræ,
 Conditur aromate, complentur scripturæ,
 Lugi sit memoria mors hæc mihi curæ.

Has

Has horas canonicas cum deuotione,
 Tibi Christe recolo pia ratione,
 Ut qui pro me passus es amoris ardore,
 Sis mihi solatiū in mortis agone, A M E N.

HYMNVS FORTVNATI.

VEXILLA regis prodeunt,
 Fulget crucis mysterium,
 Quo carne carnis conditor
 Suspensus est patibulo.
 Quo vulneratus in super,
 Mucrone diro lanceæ,
 Ut nos lauaret crimine
 Manauit vnda sanguine.
 Impleta sunt quæ cecinit
 Dauid fidelis carmine:
 Dicendo in nationibus,
 Regnauit à ligno Deus.
 Arbor decora & fulgida:
 Ornata regis purpura,
 Electa digna stipite
 Tam sancta membra tangere.
 Beata cuius brachijs
 Seculi pependit precium,
 Statera facta est corporis:
 Prædamq; tulit tartaris.
 Te summa Deus trinitas
 Collaudat omnis spiritus

K

4

Quos

Quos per crucis mysterium
Saluas, regis per secula, A M E N.

H Y M N V S.

REX Christe factor omnium,
Redemptor & credentium,
Placare votis supplicum,
Te laudibus colentium.

Cuius benigna gratia
Crucis per alma vulnera,
Virtute soluit ardua
Primi parentis vincula.

Qui es creator syderum:
Tegmen subisti carneum,
Dignatus hanc vilissimam
Pati doloris formulam.

Ligatus es vt solueres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.

Cruci redemptor figeris,
Terram sub omnem concutis,
Tradis potentem spiritum,
Nigrescit atq; seculum.

Mox in paternæ gloriæ
Victor resplendes culmine,
Cum spiritus munimine,
Defende nos rex optime, A M E N.

H Y M-

Sed

HYMNVS.

IN passione Domini,
 Qua salus datur homini,
 Sit nostrum refrigerium,
 Et cordis desiderium.

Portemus in memoria,
 Pœnas & opprobria,
 Christi coronam spineam,
 Crucem, clauos & lanceam.

Et plagas sacratissimas,
 Omni laude dignissimas,
 Acetum, fel, arundinem,
 Et mortis amaritudinem.

Hæc omnia nos fatient,
 Et dulciter inebrient,
 Nos repleant virtutibus,
 Et gloriosis fructibus.

Te crucifixum colimus,
 Et toto corde poscimus,
 Vt nos sanctorum cœtibus,
 Coniungas in cœlestibus.

Laus honor Christo vendito,
 Et sine causa prodito,
 Passo mortem pro populo,
 In aspero patibulo, A M E N.

HYMNVS.

K 5

CHRIST-

I I O D E P A S S I O N E

CH R I S T V M ducem,
Qui per crucem,
Nos redemit ab hostibus,
Laudet cantus noster lætus,
Exultet cœlum laudibus.

Pœna fortis tuæ mortis,
Et sanguinis effusio,
Corda terant vt te quærant,
I E S V nostra redemptio.

Per felices cicatrices,
Sputa, flagella, verbera,
Nobis grata, sunt collata
Æterna Christi munera.

Nostrum tangat cor ne plangat,
Tuorum sanguis vulnerum,
In quo toti sumus loti,
Conditor alme syderum.

Passionis tuæ donis,
Saluator nos inebria,
Qua fidelis dare mihi,
Beata nobis gaudia.

H Y M N V S.

QV I iacuisti mortuus,
In petra rex innocuus,
Fac nos in te quiescere,
Vitamq; sanctam ducere.
Succurre nobis Domine,

Quos

Quos redemisti sanguine,
 Et duc nos ad suavia,
 Æternæ lucis gaudia.

HYMNVS.

IEs v nostra redemptio,
 Amor & desiderium,
 Deus creator omnium,
 Homo in fine temporum.
 Quæ te vicit clementia,
 Vt nostra ferres crimina,
 Crudelem mortem patiens,
 Vt nos à morte tolleres.
 Inferni claustra penetras,
 Tuos captiuos redimens,
 Victor triumpho nobili,
 Ad dexteram patris residens,
 Ipsa te cogat pietas,
 Et mala nostra superes,
 Parcendo & voti compotes,
 Nos tuo vultu facies.

Gloria tibi Domine,
 Qui scandis super sydera,
 Cum Patre sancto Spiritu,
 In sempiterna secula, AMEN.

ORATIO.

BONAVENTURA.

ADO-

ADORAMVS TO CHRIS TE & benedicimus tibi, qui per crucem tuam redemisti mundum, Gratias ago tibi Domine Iesu Chrifte, cuius gratia sum id quod sum, cuius misericordia viuo, moueor & subsisto. Dignare me laudare te, benignissime Iesu Chrifte, & sacratissimæ tuæ passioni laudes decantare.

ALIA.

DEVS qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, vt inimici à nobis expelleres potestatem, concede nobis famulis tuis, vt resurrectionis gratiã consequamur, Per &c.

ALIA.

DEVS qui in Filij tui humilitate iacentem mundũ erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede læticiam, vt quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudijs quoque facias perfrui sempiternis, Per eundẽ.

ALIA.

ODOMINE IESV CHRIS TE æterna dulcedo, & amantium iubilus, excedens omne gaudiũ & omne desiderium: salus & amator poenitentium peccatorum,

rum. Qui delicias tuas attestatus es esse cum
filijs hominum propter hominem homo fa-
ctus in fine temporum. Memento omnis
præmeditationis & intimi mœroris, quem
ab initio conceptionis tuæ in humana natu-
ra sustinuiti, maxime instante saluberrimæ
passionis tuæ tempore, in diuino corde ab
æterno præordinatæ. Memento tristitiæ &
amaritudinis, quam in anima tua, teipso at-
testante habuisti, quando dixisti: Tristis est
anima mea vsq; ad mortem, & quando in
ultima cœna discipulis tuis corpus & san-
guinem tuum tradidisti, pedes eorum lauisti,
& dulciter eos consolando, imminentem pas-
sionem tuam prædixisti. Memento tremoris
angustiæ & doloris, quæ in toto corpore
tuo delicato ante passionem crucis tuæ pertu-
listi, quando post trinam orationem sangui-
neum sudorem fudisti, à discipulo proprio
tradebaris, ab electa gente capiebaris, à fal-
sis testibus accusabaris, à tribus iudicibus in-
iuste iudicabaris in electa ciuitate. In pasca-
li tempore, in florida corporis tui iuentu-
te innocenter damnabaris, tradebaris, con-
spuebaris, veste propria exuebaris, vestibus
alienis induebaris, colaphizabaris, oculis &
facie velabaris, alapis cedebaris, ad colum-
nam ligabaris, flagellabaris, spinis corona-
baris

baris, O dulcissime Iesu, da mihi quæso ob
memoriam harum pœnarũ & passionum
ante crucis tuæ passionē, veram ante mor-
tem meam contritionem, puram confessio-
nem, & omnium peccatorum meorum re-
missionem, A M E N.

A L I A.

O I E S V vera libertas angelorum & pa-
radysus deliciarum, memento terroris
& horroris quos sustinebas, quando omnes
inimici tui quasi leones ferocissimi te cir-
cumsteterunt, & collaphizationibus, con-
sputionibus, vngulationibus, cæterisq; inau-
ditis supplicijs te molestauerunt, & per om-
nia contumeliosa verba, dura verbera, du-
rissimaq; tormenta, quibus te omnes inimi-
ci tui afflixerunt, deprecor te, vt liberares me
ab omnibus inimicis meis visibilibus & in-
uisibilib. & dones mihi sub vmbra alarum
tuarum protectionem salutis æternæ inue-
nire, A M E N.

A L I A.

O I E S V mundi fabricator & creator,
quem nulla dimensio vero termino me-
titur, qui terram palmo concludis, recorda-
re amarissimi doloris tui, quem sustinebas,
dum

dum sanctissimas manus tuas ad crucem obtusis clavis primo affixerunt, & ad perforandum delicatissimos pedes tuos, cum non esses conueniens voluntati eorū, dolorem super dolorē addiderunt vulnerib. tuis, & ita crudeliter distraxerunt & extenderūt in longum & latum crucis tuæ, vt dissoluerent omnes compages membrorū tuorū, precor te per huius factissimi & amarissimi in cruce doloris memoriam, des mihi timorem & amorem tuum, A M E N.

A L I A.

O I E S V cœlestis medice, recordare languoris & doloris atq; liuoris, quos in alto crucis patibulo leuatus, passus es in omnib. dilaceratis membris tuis, quorū nullū in suo statu recte permanserat, ita vt nullus dolor dolori tuo similis inueniretur, quia à planta pedis vsq; ad verticem capitis non fuit in te sanitas, & tunc dolorum omnium immemor, patrē pro inimicis pie exorasti, dicens: Pater ignosce illis, quia nesciunt quod faciunt. Per hanc charitatem & misericordiam & ob memoriam doloris cōcede, vt passio tua sit omnium peccatorum meorum plenaria remissio, A M E N.

A L I A.

O I E S V

O IESV speculum claritatis æternæ, memento illius mœroris quem habuisti, quando in speculo serenissimæ maiestatis tuæ conspexisti prædestinationem electorum tuorum per merita passionis tuæ saluandorum, & reprobationem malorum in multitudinem damnandorum, & per abyssum miserationis tuæ, qua perditis & desperatis peccatoribus tunc condoluisti, & præcipue quam latroni in cruce exhibuisti, dicens: Hodie mecum eris in paradyso, Rogo te pie IESV, vt facias mecum misericordiam tuam in hora mortis meæ, A M E N.

A L I A.

O IESV rex amabilis totusq; desiderabilis, memento mœroris quem habuisti, quando nudus & miserabilis in cruce pependisti, & amici ac noti tui aduersus te steterunt, & nullam consolationem inueniebas, nisi solam dilectâ genetricem in agone tibi fidelissime assistentem, quâ discipulo tuo commendasti, dicens: Mulier ecce filius tuus, & ad discipulum tuum: Ecce mater tua. Rogo te pie IESV, vt compatiaris mihi in omnibus tribulationibus & afflictionibus meis corporalibus & spiritualibus, da mihi consolationē in omni tempore tribula-

bulationis meæ, A M E N.

A L I A.

O I E S V fons inexhaustæ pietatis, qui ex intimo dilectionis affectu in cruce dixisti: Sitio secundum salutem humani generis, accède quæsumus nostrum desiderium ad omne opus perfectum, & sitim carnalis concupiscentiæ, & æstum mundanarû dilectionum in nobis penitus refrigera & extingue, A M E N.

A L I A.

O I E S V dulcedo cordium, ingensque suauitas mentium, per amaritudinem aceti & fellis quam pro nobis sustinuisti in cruce & degustasti, concede nobis miseris peccatorib. corpus & sanguinẽ tuum omni tẽpore, & præcipue in hora mortis nostræ, digne percipere ad cõfirmationem fidei de salute animarum nostrarum, A M E N.

A L I A.

O I E S V regalis virtus iubilusq; mentalis, memento angustia quam passus es, quando per mortis amaritudinẽ & Iudæorum insultationem cum magna voce te à Deo patre derelictum clamasti, dicens: He-
li heli lamazabathani, quod est, Deus meus

L Deus

Deus meus quare dereliquisti me. Per hanc angustiam peto, vt in angustijs mortis meæ non derelinquas me Domine Deus meus, A M E N.

A L I A.

○ I E S V, alpha & o, vnio & virtus, initiũ & finis sine omni medio, recordare quod à summo capite vsq; ad plantam pedis pro nobis in aqua passionis te demersisti, propter latitudinem & longitudinem vulnerum tuorum, doce me per veram charitatem custodire latum mandatum tuũ nimis in peccatis dimersum, A M E N.

A L I A.

○ I E S V, abyssus profundissimæ misericordiæ, rogo te propter profunditatem vulnerum tuorum, quæ transierunt carnẽ tuam, & medullam ossium, & intima viscerum tuorum, vt me submersum in peccatis emergas, & abscondas me in foraminibus vulnerum tuorum à facie iræ tuæ, donec pertranseat furor tuus Domine, A M E N.

A L I A.

○ I E S V veritatis speculum, vnitatis signum, & charitatis vinculum, memento innumerabilium vulnerum tuorum, quibus

bus à summo capite vsq; ad ima pedum vulneratus fuisti. Et ab impijs Iudæis lacerat⁹, & sanctissimo sanguine tuo rubricatus, quā magnitudinem doloris tui in virginea carne tua pertulisti pro nobis pie Iesu. Quid ultra facere debuisti quod non fecisti? Scribe quæso omnia vulnera tua in corde meo, preciosissimo sanguine tuo, vt in illis legam dolorem & amorem tuum, vt eorum memoria semper apud secretum cordis mei remaneat, vt dolor passionis tuæ in me quoti die renouetur, & amor augeatur, vsq; dum perueniam ad te desideratum thesaurum omnium bonorum & gaudiorum repletum, quod mihi donare digneris Christe dulcissime in vitā mea, A M E N.

A L I A.

O I E S V leo fortissime, rex immortalis, inuictissime, memento doloris quem passus es, cum omnes vires corporis & cordis tui penitus defecerunt, & inclinato capite dixisti. Consummatum est. Per hanc angustiam & dolorem tuum miserere mei in vltima consummatione vitæ exitus mei, cum anima mea anxiosa fuerit, & spiritus meus conturbatus, A M E N.

A L I A.

L 2

O I E S V

O I E S V vnigenite altissimi patris, splendor & figura substantiæ eius, memento obnixæ commendationis, qua Spiritum tuum patri commendasti, dicens: In manus tuas commendo spiritum meum, & lacerato corpore, ruptoque corde, cum valido clamore, patefactis visceribus misericordiæ tuæ, pro nobis redimendis expirasti. Per hanc preciosissimam mortem tuam deprecor te rex sanctorum, conforta me ad resistendum diabolo, mundo, carni, & sanguini, ut mundo mortuus, tibi soli viuam, & in nouissima hora exitus mei suscipe reuertentem ad te Spiritum meum exulem & peregrinum, A M E N.

A L I A.

O I E S V vitis vera & foecunda, memento superfluētis & abundantis effusionis sanguinis tui, quem tu de corpore tuo sicut de botro expresso copiosissime effudisti, quando in cruce torcular solus calcasti, & lancea militari perfosso latere nobis sanguinem & aquam propinasti, ita ut nec minima gutta in te remaneret, tunc demum quasi fasciculus myrrhæ in altum suspensus fuisti, & delicata caro tua euanuit, & liquor viscerum tuorum exaruit, & medulla ossium tuorum emarcuit. Per hanc amarissimam
passio-

passionem tuam & preciosissimi sanguinis
tui effusionē precor te dulcissime Iesu, vul-
nera cor meum, vt pœnitentiæ & amoris
lacrymæ sint mihi panis, die ac nocte, &
conuerte me totaliter ad te, vt cor meū fi-
at tibi perpetuo habitabile, & conuersatio
mea tibi placita & accepta sit, ac finis vitæ
meæ ita laudabilis, vt post vitæ meæ termi-
num te laudare possim cum omnib. sanctis
tuis in æternum, A M E N.

MEMORIA PASSIONIS.

TENEBRÆ factæ sunt dum crucifi-
xissent Iesum Iudæi, & circa horam no-
nam exclamans Iesus voce magna, dixit,
Deus meus vt quid me dereliquisti? Et in-
clinato capite emisit spiritū. Tunc vnus ex
militibus lancea latus eius perforauit, & cō-
tinuo exiuit sanguis & aqua.

VERSVS.

ET velum templi scissum est à summo
vsq; deorsum, & omnis terra tremuit.
Et inclinato &c.

VERSVS.

PROPRIO filio suo non pepercit De-
us. Sed pro nobis omnibus tradidit illū.

ORATIO.

DOMINE IESU CHRISTE Fi-
li Dei viui, qui pro salute mundi in cru-
ce felle & aceto potatus es, sicut tu consum-
matis omnibus in cruce expirans, in manus
patris commendasti spiritum tuum, sic in
hora mortis meæ, in manus tuæ pietatis
commendo animam meã, vt eam in pace
suscipias & in electorum tuorum choris ag-
gregari præcipias. Qui viuis & regnas cum
Deo patre in vnitæte spiritus sancti Deus,
Per omnia secula seculorum, A M E N.

VII.

F O R M V L A E P R E -
C A N D I, E X M E D I T A T I O -
ne Resurrectionis & Ascensionis
in cælum Filij Dei vi-
uentis,

IESU DOMINE, Iesu pie, Iesu
bone, qui mori dignatus es propter pec-
cata nostra, & resurrexisti propter iustifica-
tionem nostram, rogo te per gloriosam re-
surrectionem tuam, resuscita me de sepul-
chro vitiorum & peccatorum meorum om-
nium, & da mihi quotidie partem in resurre-
ctione

Etique prima, vt in resurrectione tua mere-
 ar veraciter percipere portionem. I E S V
 dulcissime, ascendisti in cœlum cum trium-
 pho gloriæ tuæ, & sedes ad dexteram patris,
 rex potentissime, trahe me sursum ad te,
 vt curram post te in odore vnguentorum
 tuorum, curram & non deficiam, te trahen-
 te, te ducente, me currēte, trahe os sitientis
 te animæ in superna fluenta æternæ satieta-
 tis, Imo trahe me ad te fontē viuū, vt inde
 pro captu meo bibam, vnde semper viuā,
 Deus meus vita mea, fons vitæ reple men-
 tem meam torrente voluptatis tuæ, & ine-
 bria cor meum sobria ebrietate amoris tui,
 vt obliuiscar quæ vana sunt & terrena, &
 te solum iugiter habeam in memoria mea.
 Da mihi Spiritum sanctum tuum, quem sig-
 nificabant illæ aquæ, quas sitientibus datu-
 rū te promiseras. Da quæso toto desiderio
 & omni studio tendere, quo te ascendisse
 post resurrectionē die quadragesimo credi-
 mus, vt in præsentī quidem miseria, solo te
 near corpore, tecum autem sim cogitatio-
 ne semper, vt ibi sit cor meū, vbi tu es the-
 saurus meus desiderabilis & incōparabilis,
 multumq; amabilis, vt laudem dicam nomi-
 ni tuo ex hoc nunc & vsq; in secula seculo-
 rum, A M E N.

HIERONY. IN AGONE.

TV bone IESV, pro me crucis tam grande in tuo corpore subijsti supplicium, vt mortem, quam meis incurreram flagitijs interimeres, animas antiquorum quas dudum diabolica potestas miseris infernalibus mansionibus retinebat, recuperares, vt totam humanam naturam, quæ corruerat in mortem perpetuam, tuo cum ipso pacificato Patre, ad vitam interminabilem, tuo quæ pro ipsa fudisti, precioso sanguine reuocares. Cuius quidem vitæ, die resurgens tertia, de illo in quo mortuus iacuisti barathro certitudinem firmissimam comprobasti, Quo quidem nostra est solidata fides, & aucta spes vt sicut incorruptibilis, & impassibilis, & immortalis resurrexisti, ita similiter & nos resurgemus. Tu certe pie & bone Domine, post tuam mirabilem & singularem resurrectionem, quadraginta expletis diebus quibus experientia lucida indiciorum multiplicium, te ab inferis viuum resurrexisse declarasti, & vt nulla dubitationis oriretur caligo, ad cælos cunctis cernentibus discipulis tua propria virtute ascendisti, mihiq; ianuas referans Paradysi, ad Dei patris omnipotentis dexteram confedisti, vbi sine fine sedes, & reg-

ET ASCENS. CHRI. 125
& regnas cum Patre & Spiritu sancto in
sempiterna secula, AMEN.

PSALM. 47.

OMNES gentes plaudite manibus, iu-
bilate Deo in voce exultationis.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis,
rex magnus super omnem terram.

Subiecit populos nobis, gentes sub pedi-
bus nostris.

Elegit nos hæreditatem suam, magnifi-
centiam Iacob quam dilexit.

Ascendit Deus in iubilo, Dominus in
voce tubæ.

Pfallite Deo nostro, pfallite, pfallite regi
nostro, pfallite.

Quoniam rex omnis terræ Deus, pfallite
sapienter.

Regnavit Deus super gentes, Deus se-
det super sedem sanctam suam.

Principes populorum congregati sunt,
cum populo Dei Abraham, quoniã Deus
à protectoribus terræ vehementer eleua-
tus est.

PSALM. 68.

EXVREGAT Deus & dissipentur ini-
mici eius, & fugiant qui oderunt eum
à facie eius.

L 5

Sicut

Sicut dispellitur fumus, dispelle eos, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant impij à facie Dei.

Et iusti lætentur & exultent, in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.

Cantate DOMINO, psalmum dicite nomini eius, parate viam ei qui inuehitur molliter, Dominus nomen illi, exultate in conspectu eius.

Qui pater est orphanorum, & iudex viduarum, DEVS in habitaculo sancto suo.

DEVS qui solitarios habitare facit domum, & educit vinctos congruo tempore, rebelles autem habitabunt siccitatem.

Deus cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransieris in deserto.

Terra mota est, & cœli distillauerunt à facie DEI Sinai, à facie DEI, DEI Israël.

Pluuiam largam effundis, Deus hæreditatem tuam laborantem, tu recreas.

Animalia tua habitabunt in ea, recreas bonitate tua afflictum Deus.

Dominus dabit verbum, cum magno exercitu Euangelistarum.

Reges exercituum sunt amici, & decus domus diuidet spolia.

Cum

Cum castrametamini eritis sicut alæ columbæ, cuius pennæ argento & auro rutilante coopertæ sunt.

Cum constituit omnipotens reges super eam, sicut nix dealbabuntur tenebræ.

Mons Dei, Mons pinguis, Mons excelsus, Mons pinguis.

Vt quid exultatis montes excelsi? Hic est mons in quo beneplacitum est DEO habitare, etenim DOMINVS habitabit in æternum.

Currus Dei millies mille, Dominus in eis in Sinai sancto.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus, etiam rebellibus, vt inhabitet DOMINVS Deus.

Vide reliqua.

PSALM. 118.

FORTITUDO & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum, dextera DOMINI fecit virtutem.

Dextera Domini exaltata est, dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar sed viuam, & narrabo opera Domini.

Casti-

Castigans castigauit me Dominus, sed
morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in
eas confitebor Domino.

Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.
Confitebor tibi quia humiliasti me, & fa-
ctus es mihi in salutem.

Lapidem quem reprobauerunt ædifican-
tes, hic factus est in caput anguli.

A Domino factum est istud, & est mira-
bile in oculis nostris.

Hæc est dies quam fecit Dominus, exul-
temus & lætemur in ea.

O Domine da salutem, ô Domine da
prosperitatem.

Benedictus qui venit in nomine Domi-
ni, benediximus vobis ex domo Domini.

Deus Dominus, & illuxit nobis, ornate
festum frondibus, vsq; ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor, Deus
meus es tu, & exaltabo te.

Confitemini Domino quoniam bonus,
quoniam in seculum misericordia eius.

PSALM. IIO.

DIXIT DOMINVS Domino meo,
sede à dextris meis, donec ponam ini-
micos tuos, scabellum pedum tuorum.

Sceptrum

Sceptrum regni tui emittet Dominus ex
Sion, dominare in medio inimicorum tuo-
rum.

Populus tuus spontaneus, offeret in die
victoriæ tuæ in ornatu sancto, ex vtero ori-
tur tibi ros generationis.

Iuravit Dominus & nō pœnitebit eum,
Tu es Sacerdos in æternū secundum ordi-
nem Melchisedech.

Dominus à dextris tuis, conteret in die
iræ suæ reges.

Iudicabit inter gentes, implebit cadaue-
ribus, conteret capita in terris multis.

De torrente in via bibet, propterea ex-
altabit caput.

H Y M N V S.

AD cœnam agni prouidi,
Et stolis albis candidi,
Post transitum maris rubri,
Christo canamus principi.

Cuius corpus sanctissimum,
In ara crucis torridum,
Cruore eius roseo,
Gustando viuimus Deo.

Protecti Paschæ vespere
A deastante angelo,
Erepti de durissimo,

Phara-

Pharaonis imperio.

Iam Pascha nostrum Christus est,
 Qui immolatus agnus est,
 Synceritatis azyma,
 Caro eius oblata est.

O vere digna hostia,
 Per quam fracta sunt tartara,
 Redempta plebs captiuata
 Redit ad vitæ præmia.

Consurgit Christus tumulo,
 Victor redit de barathro.
 Tyrannum tradens vinculo,
 Et referans Paradysum,

Quæsumus autor omnium
 In hoc Paschali gaudio,
 Ab omni mortis impetu
 Tuum defende populum.

Gloria tibi Dñe, Qui surrexisti à mortuis,
 Cum Pat. & S. Spiritu, In sempiterna secula.

H Y M N V S.

VITA sanctorum, decus angelorum,
 Vita cunctorum pariter piorum,
 Christe, qui mortis moriens ministrum
 Exuperasti.

Tu tuo lætos famulos trophæo,
 Nunc in his serua placidis diebus,
 In quibus sanctum celebratur omnem
 Pascha per orbem,

Pascha

Pascha quo victor rediens ab imo,
 Atq; cum multis alijs resurgens,
 Ipse susceptam super alta carnem
 Astra leuasti.

Nunc in excelsis Dominus refulgēs,
 Et supra cœlos Deus eleuatus,
 Inde venturus homo iudicatus
 Denuo iudex.

Corda tu sursum modo nostra tolle,
 Quo patri dexter resides in alto,
 Nec resurgentes facias in ima
 Præcipitari.

Hoc pater tecum hoc idem sacratus
 Præstet, amborum pie Christe flatus
 Cum quibus regnas Deus vnus omni
 Iugiter æuo.

H Y M N V S.

FESTVM nūc celebre, magnaq; gaudia,
 Compellunt animos carmina promere,
 Cum Christus solium scandit ad arduum
 Cœlorum pius arbiter.

Conscendit iubilans, lætus ad æthera,
 Sanctorum populus prædicat inclytum:
 Concinit pariter angelicus chorus
 Victoris boni gloriam.

Qui scandens superos vincula vinxerat,
 Donans terrigenis munera plurima,
 Distri-

Districtus rediet arbiter omnium

Qui mitis modo tranſijt.

Oramus Domine conditor inclyte
Deuotos famulos respice, protegens

Ne nos liuor edax dæmonis obruat

Demergat vel in inferos.

Vt cum flammiuoma nube reuerteris
Occulta hominum pandere, iudicans

Ne des supplicia horrida noxijs,

Sed iustis bona præmia.

Præsta hoc genitor optime maxime,

Hoc tu nate Dei, & bone Spiritus,

Regnans perpetuo fulgida Trinitas

Per cuncta pie secula.

IN DIE PASCHÆ SE-
quentia.

VICTIMÆ paschali laudes immolant
Christiani.

Agnus redemit oues, Christus innocens
Patri reconciliauit peccatores.

Mors & vita duello conflixere mirando,
dux vitæ mortuus regnat viuus.

Dic nobis Maria, quid vidisti in via? Se-
pulchrum Christi viuentis, & gloriam vidi
resurgentis:

Angelicos testes, sudarium & vestes: sur-
rexit Christus spes mea, præcedens suos in
Galilæam. Cre-

Credendum est magis soli Mariæ vera-
ci, quam Iudæorum turbæ fallaci.

Scimus Christum surrexisse à mortuis
vere.

Tu nobis victor Rex miserere.

DE ASCENSIONE DO-
mini Sequentia.

REX omnipotens die hodierna.
Mundo triumphali redempto potentia.

Victor ascendit cœlos vnde descenderat.

Iam quadraginta postquam surrexerat

Diebus sacris confirmans pectora.

Apostolorum pacis cara relinquens oscula.

Quibus & dedit potestatem laxandi crimina.

Et misit eos in mundum baptizare in cun-
ctas animas.

In Patris & Filij & S. Spiritus clementia.

Et conuescens præcepit eis, ab Hierosoly-
mis

Ne abirēt, sed expectarēt promissa munera.

Non post multos enim dies mittam vobis

Spiritum paracletum in terris.

Et eritis mihi testes in Hierusalem Iudæa

sive Samaria.

Et cum hæc dixisset videntibus illis eleua-

tus est, & nubes clara

Suscepit ab eorū oculis intuentib. illis aëra.

M Ecce



Ecce steterunt amicti duo viri in veste alba
Iuxta, dicentes, quid admiramini cœlorū
alta.

Iesus enim qui hic assumptus est à nobis, ad
Patris dexteram

Ascendit, ita veniet quærens talenti com-
missi lucra.

O D E V S, mare, polum, arua, hominem
quem creasti, fraude subdola.

Hostis expulit Paradyso, & captiuatum se-
cum traxit ad tartara.

Sanguine proprio redemisti nos Deo, illuc
& reuehis, vnde primus corruit parady-
ficola.

Iudex cum veneris iudicare seculum, da
nobis quæsumus sempiternam requiem,
sanctorum patriam,

In qua tibi cantemus Alleluia.

B E N E D I C A M V S, **Q V A N D O**
Christus ascenderat.

Q V A N D O Christus ascenderat,
Sedens ad Patris dexteram,

Quem antea promiserat,

E cœlo mittit Spiritum,

Auditur tanquam sonitus,

Linguae videntur igneæ.

Hic subito adueniens,

Metum

Metum incussit omnibus,
 Et consolator pauidos
 Apostolorum animos,
 Qui statim linguis varijs
 Docent Dei magnalia.

Fœcundat hic Ecclesiam
 Diuersis donis sterilem,
 Consolatur, illuminat,
 Et seruat conscientias,
 Aduersus mundum, Satanam,
 Et diræ mortis impetum.

Patrem oramus igitur
 Cœlestem, sanctus Spiritus,
 Vt nos in fide Filij
 Pura semper retineat,
 Alleluia, Alleluia,
 Benedicamus Domino.

ORATIO.

DEVUS qui solennitate paschali mundo
 remedia contulisti, populum tuum quæ-
 sumus cœlesti dono persequere, vt & liber-
 tatem perfectam consequi mereatur, & ad
 vitam perueniat sempiternam, Per eundem.

Hæc dies quam fecit Dominus exalte-
 mus & lætemur in ea.

ALIA.

M 2 SPI-

SPIRITUM nobis Domine tuæ charitatis infunde, vt quos Sacramentis paschalibus sociasti, tua facias pietate concordēs, Per eund. &c.

ALIA.

PRÆSTA quæsumus omnipotens Deus, vt qui festa paschalia venerando peregimus, hæc te largiente moribus & vita tueamur.

GREGORIUS.

ODOMINE Iesu Christe, adoro te in cruce pendentem, & coronam spinæ in capite portantem, deprecor te, vt crux tua liberet me ab angelo percutiente.

ODOMINE Iesu Christe, adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum, deprecor te, vt vulnera tua sint remedium animæ meæ.

ODOMINE Iesu Christe, rogo te per illam amaritudinem passionis tuæ, quâ in hora mortis sustinuisti, maxime tunc, quando anima tua sanctissima, de benedicto corpore tuo est egressa, miserere animæ meæ in egressu suo de corpore meo, & perduc eam in vitam æternam.

O D o-

O DOMINE Iesu Christe, adoro te in sepulchro positum, myrrha & aromatibus conditum, deprecor te, vt mors tua sit vita mea.

O DOMINE Iesu Christe, adoro te ad inferos descendentem, & tuos inde liberantem, deprecor te vt illuc nunquã me patiaris introire.

O DOMINE Iesu Christe, adoro te à morte resurgentem, & in cœlum ascendentem, sedentem ad dexteram patris, deprecor te, vt illuc te sequi, & tibi præsentari merear.

VIII.

FORMULAE PRE-
CANDI, POENITENTI-
am agentium.

AVGVSTI. MEDITAT.

Cap. 8.

O MNIPOTENS DEVS, ac Pater DOMINI nostri IESV CHRISTI, miserere mei, & dimitte mihi omnia delicta mea, propter Filium tuũ, inter me & te mediatorem. Potui enim per me te

M 3 sancte

sancte Pater offendere, sed non valui per me placare. Factus est adiutor meus, Deus meus, tuus dilectus Filius, meam participans humanitatem, ut curaret infirmitatem, quatenus unde causa emerferat offensionis, inde tibi immolaret sacrificium laudis, meque per hoc redderet tuæ pietati placabilem, quo sedens ad dexteram tuam, semper meam substantiam se ostenderet esse consortem. Ecce spes mea. Ecce tota fiducia mea, si me pro mea, ut dignum despicias iniquitate, respice me saltem misericors pro dilectæ sobolis charitate. Attende in filio quo propitius seruo, vide carnis Sacramentum, & remitte carnis reatum. Quotiens beatæ prolis tibi patent vulnera, delitescant obsecro scelera mea. Quotiens rubet preciosus pro de latere sanguis, diluatur obsecro labes meæ pollutionis. Et quia caro te lacepsit ad iram, caro te flectat imploro ad misericordiam, & sicut me caro seduxit ad culpam, caro deducat ad veniam. Multum namque est, quod mea meretur iniquitas, longe autem maius quod redemptoris mei reposcit iure pietas. Magna est mea iniusticia, satis vero maior redemptoris iusticia. Quanto namque est superior Deus homine, tanto mea malitia est inferior eius bonitate, in quantitate & qualitate.

litate. Quid enim deliquit homo, quod non redemerit filius Dei factus homo? Quæ tanta superbia tumeret, quam tanta humilitas non sterneret? Quodnam tantum mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirum Deus meus, si æqua lance delicta peccantis hominis, & redimentis gratia librentur auctoris, non tantum oriens ab occidente, sed inferior separatur infernus, à summo cœli cardine. Iam lucis optime creator, iam culpis ignosce meis, pro dilecti Filij tui laboribus immensis. Iam eius quæso pietati mea impietas, eius modestiæ mea peruersitas, & mansuetudini donetur ferocitas. Iam sua humilitas meam superbiam, patientia impatientiam, benignitas duriciam, oboedientia inoboedientiam, tranquillitas inquietudinẽ, dulcedo amaritudinem, suauitas iram, charitas lucrifaciat crudelitatem. Per eundem Filium tuum Dominum ac Saluatorem nostrum, qui tecum regnat, & uiuit in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, A M E N.

AUGUSTI. MEDITAT.

Cap. 13. & 14.

ÆTERNE DEVS clementissime
Pater, magni & multi sunt languores
M 4 mei,

mei, habet enim multa in me princeps mū-
 di huius, scio & fateor, sed rogo te, libera
 me per sedentem ad dexterā tuam redem-
 torem nostrum, in quo nihil sui mali po-
 tuit inuenire. Per ipsum me iustifica, qui
 peccatum non fecit, nec est inuentus dolus
 in ore eius, per ipsum caput nostrum in quo
 nulla est macula, libera membrum eius,
 licet exiguum & infirmum, libera quæso
 me à peccatis, vitijs, culpis & negligentijs
 meis. Desperare utiq; potuissem propter
 nimia peccata mea, & infirmitates meas,
 nisi verbum tuum Deus caro fieret, & ha-
 bitaret in nobis. Sed desperare iam non au-
 deo, quia cum inimici essemus, reconciliati
 sumus per mortem Filij tui, quanto magis
 reconciliati salui facti sumus per eum. Om-
 nis namq; spes & totius fiducia certitudo
 mihi est in precioso sanguine eius, qui effu-
 sus est propter nos & propter nostram salu-
 tem, In ipso respiro, & in ipso confisus ad
 te peruenire desidero, non habens meam
 iusticiam sed eam quæ est ex Filio tuo Do-
 mino nostro Iesu Christo. Cum quo tibi
 sit laus & gloria simul quoq; Paracletō in
 sempiterna secula, A M E N.

AUGUSTI. MEDITAT.

Cap. 39.

DOMI-

DOMINE IESU CHRISTE fili
 Dei viui, qui expansis in cruce mani-
 bus, propter mortalium omnium redempti-
 onem hausisti calicem passionis, propitius
 esto mihi misero peccatori. Ecce pauper
 venio ad te diuitem, miser ad misericordē,
 Confiteor aduersum me iniusticiam meam,
 Ecce Domine, quia in peccatis fui conce-
 ptus & natus, & tu me abluisti & sanctifi-
 casti, & ego postea me maioribus sordida-
 ui peccatis. Fui enim in necessarijs natus,
 postea in spontaneis volutatus, sed tuæ
 Domine miserationis non immemor, tuli-
 sti me de domo patris mei carnalis, & de
 tabernaculo peccatorum. Sed ego tot be-
 neficiorum ingratus, multa cōmisi illicita,
 multa perpetraui nefanda, & vbi peccata
 emendare debui, peccata peccatis addidi.
 Hæc sunt mala mea Domine, quibus exho-
 norauit te, & maculaui me, quæ ad imaginē
 & similitudinem tuā creasti, superbia, vana
 gloria, & cætera multa alia mala, quib. ve-
 xatur & affligitur, laceratur & destruitur in-
 felix anima mea, Ecce Domine iniquitates
 meæ supergressæ sunt caput meū, & sicut
 onus graue grauatae sunt super me. Et nisi
 tu, cui proprium est misereri semper &
 parcere, dexterā tuæ Maiestatis supponas,

M 5 mergi

mergi cogor miserabiliter in profundum.
 Sed tu Domine cōuertere, & eripe animā
 meam, saluum me fac propter misericordi-
 am tuam, miserere filio tuo, quē in dolore
 non modico peperisti, & noli attendere
 malum meum, vt obliuiscaris bonum tuū.
 Quis est pater, qui filium non liberet? Aut
 quis filius quem pater pietatis baculo non
 corripiat? Ergo pater & Domine, licet pec-
 cator sim, non possum non esse filius tuus,
 quia tu me fecisti & refecisti. Nunquid obli-
 uisci potest mater infantem vteri sui? &
 certe si illa oblita fuerit, tu pater promisisti
 te non obliuisci. Ergo placare obsecro, &
 miserere mei, & non auertas faciem tuam à
 me, qui pro me redimendo nō auertisti fa-
 ciem tuam, ab increpantibus & cōspuenti-
 bus in te Fateor quia peccaui, & cōscientia
 mea meretur damnationem, sed certum
 est, quod misericordia tua superat omnem
 offensionem: Noli quæso pijsime Domine
 scribere aduersum me amaritudines meas,
 vt intres in iudicium cū seruo tuo, sed se-
 cundum multitudinē miserationū tuarum
 dele iniquitatē meam. Miserere ne despe-
 rem, sed desperando respirē. Etsi ego cōmi-
 si vnde me damnare potes, tu non amisisti
 vnde saluare soles. Tu Domine non vis
 mortem

mortē peccatorū, nec lætaris in perditione morientiu, imo vt mortui viuerent, tu mortuus es, & mors tua peccatorū mortem occidit. Et si ipsi te moriente vixerunt, obsecro D O M I N E, vt ego te viuente non moriar, Ecce sub tuæ misericordiæ vmbra protectus, ad thronum gratiæ veniam postulans curro, clamans & pulsans, donec miseraris mihi, Ne memineris dulcissime Iesu tuæ iusticiæ aduersus peccatorē tuum, sed esto memor benignitatis tuæ aduersus creaturam tuam. Ne memineris iræ aduersus reum, sed esto memor miserationis tuæ aduersus miserum, obliuiscere superbam provocantem, & respice miserum inuocantē. Qui viuis & regnas in secula, A M E N.

A V G V S T I . M E D I T A T .

Cap. 41.

TV A D O M I N E me bonitas creauit, tua misericordia creatum ab originali peccato mundauit, tua patientia me post illam emundationem Baptismi, alijs peccatorum fordibus inuolutum tolerauit, nutriuit & expectauit, Amator hominum benignissime, tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor, miserere mei orphani derelicti, pupillus factus sum absq; patre,
ani-

anima mea quasi vidua, Respice orbitatis
& viduitatis meæ lacrimas, appare mihi
& consolatus ero, Exhibe præsentiam tuã,
& consecutus ero desiderium meum, Re-
uela gloriam tuam, & erit perfectum gau-
dium meum, vt glorificem te cum Patre &
Spiritu sancto, per omnia secula, A M E N.

AUGUSTI. SOLILOQVIO.

Cap. 2.

MANVS tuæ DOMINE fecerunt
me & plasmauerunt me, manus inquã
illæ quæ affixæ clavis sunt pro me. Opus
manuum tuarũ ne despicias Domine, vul-
nera manuum tuarũ precor vt aspicias, ec-
ce in manibus tuis Domine Deus descrip-
sisti me, lege ipsam scripturam & salua me.
En ad te suspiro creatura tua, Creator es,
recrea me. En ad te clamo factura tua, vi-
ta es viuifica me, En ad te respicio tuum
plasma, Plasmator es, restaura me. Parce
mihi DOMINE, nihil enim sunt dies mei.
Ægrotus sum, ad medicum clamo, cœcus
sum, ad lucem propero, Mortuus sum ad
vitam suspiro, Tu es medicus, Tu lux, Tu
vita, Iesu Nazarene, miserere mei Fili Da-
uid, miserere mei fons misericordiæ. Audi
qui ad te clamat infirmum. Lux quæ traf-
fit

fit expecta cœcum , præbe ei manum , vt
ad te veniat , & in lumine tuo videat lu-
men , A M E N .

AUGUSTI. SOLILOQUIO.

Cap. 5.

CONFITEOR tibi pater Domine
cœli & terræ , miseriam meam , vt me
venire liceat ad misericordiam tuam. Miser
quippe factus sum , & ad nihilum reductus
sum , vulnerauerunt me iniquitates meæ , &
ad nihilū duxerunt me , Inimici mei de me
fecerunt quæcunq; voluerūt , percusserunt ,
nudauerunt , polluerunt , corruerunt , vul-
nerauerunt , & occiderunt me : Heu Domi-
ne vita mea , qui fecisti me , lux mea , qui
direxisti me , Defensor vitæ meæ miserere
mei , & resuscita me , Domine DEVS meus
spes mea , virtus mea , fortitudo mea , conso-
latio mea in die tribulationis meæ , Intona
Domine desuper voce grandi & forti in in-
teriolem aurem cordis mei , doce me , & sal-
ua me , & collaudabo te , qui creasti me cū
nihil essem , qui resuscitasti me cū mortuus
essem , qui pauisti me à iuuentute mea om-
nib. bonis tuis , hunc inutilem vermē fœten-
tē peccatis , nutris optimis omnibus donis
tuis . Te deprecor , ne derelinquas me . Pec-
caui

caui peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum, O quam amara, & mala res est peccatum, O peccata quam faciles aditus habetis, dum suadetis, quam difficiles exitus habetis, dum iniungitis: sed postquam suaseritis, vsq; ad mortem animæ pungitis. Sæpe cum sine alicuius mali intentione cum aliquo loqui incipio, statim detractionē incurro, vel pro aliqua re imprudenter loquendo iuro, vel vitio curiositatis inepte succumbo, vel malarū cogitationum, vel turpitudinis motus illicitos & impudicos in ipsis interioribus meis sustineo, Dum quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ ante sunt, me extendere volo. Subito nescio qua miseria me relabi ad inania, conspicio & noxia, vel carnalis delectatio perforat mentem meam, ac pro suauis odore virtutum sentio intolerabilem ac teterrimum foetorem interiorū vitiorum. Eia dulcissime Domine Iesu, corā te expando omnes iniquitates meas, quas intus sustineo, quibus laqueatur & decipitur atq; afficitur infelix anima mea. Sed tu Domine Iesu bone, cur de cælo venisti? Quid in mundo fecisti? ad quid te morti dedisti? nisi vt peccatores saluares, quorū maximus ego sum. Ergo Iesu propter nomen tuū dulce, fac mihi se

hi secundum nomen tuum Iesu obliuiscere
 superbū te prouocantē, respice pie miserum
 te inuocantem. O Iesu nomen tuum dulce,
 nomen delectabile, nomē confortans pec-
 catorem, & nomen beatæ spei. Quid est e-
 nim Iesus nisi Saluator? Ergo propter te-
 metipsum Iesu esto mihi Iesus, esto mihi
 Saluator benignus. Noli Domine sic atten-
 dere malum meum, vt obliuiscaris bonum
 tuū, Parce ergo mihi Domine, qui es salus
 vera, & qui non vis mortē peccatoris, mi-
 serere Domine peccatrici animæ meæ, sol-
 ue vincula eius, sana vulnera eius, libera eā
 Domine, exonera mole peccatorum obru-
 tam, solue delictorum funibus ligatam, ex-
 pedi criminibus irretitam, erige iacentem
 & sustine nutantem, Iesu bone vide humi-
 litatem meam, & dilue omnia delicta mea,
 adiutor meus esto, ne derelinquās me, neq;
 despicias me Deus salutaris meus, propter
 nomen sanctum tuum, A M E N.

AVGVSTI. DE CONTRIT.

Cap. II.

IVSTISSIME & benignissime Deus,
 Inemento quod misericors es & redētor
 meus es, Si iudex es ad iudicandum reum
 tuum, es & **D**EVS ad defendendum ser-
 uum

uum tuum, & es creator ad seruandum opus tuum, & es Deus ad saluandū credentem tuū, & baptizatum tuū. Ne ergo memineras DOMINVS iusticiæ tuæ solius aduersum peccatorē tuum, sed memor esto benignitatis tuæ, erga creaturam tuam. Ne memineras iræ tuæ aduersus reum tuum, sed memor esto miserationis tuæ, aduersus miserum tuum. Parce ergo mihi Domine, qui es salus mea, qui non vis mortē peccatoris. Parce ergo peccatrici animæ meæ. Deus meus es, in te pono spem meam, & tibi cōmitto animam meā, Misericors Deus miserere mei, & miserere humilis creaturæ tuæ, Fac mecū secundum misericordiā tuam, qui es benedictus in secula, A M E N.

BERNHARDVS DE INTERIORI clamo. Cap. 31. & 33.

PISSIME DOMINE vnde possum esse bonus, qui in bono fui malus, Ego peccabam, & tu dissimulabas, prolongabā multo tempore iniquitatē meam, & tu pietatem tuam, qui pœnitentiam & indulgentiam cogitabas. Da ergo misero misericordiam, qui tā diu pepercisti criminoso. Credo namq;, quoniam quicquid mihi condonare decreueris, sic erit quasi nunquā fuerit.

Ter-

Terret me tota vita mea Deus meus, quoniam diligenter discussa, apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas, & si quid fructus in ea videtur, sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum, ut possit aut non placere, aut displicere tibi. Iccirco multitudinem iniquitatum mearum expauescens, Sed de tua pietate confidens, tibi creatori & redemptori meo, qui veniam post reatum promisisti, confiteor, quoniam in peccatis conceptus sum, & in peccatis nutritus, & per omne tempus vitæ meæ usq; ad hanc diem, in peccatis sum conuersatus. Nullum inuenio peccatum, à quo non sum aliquo modo inquinatus, Ita repleta est anima mea malis, peccatis meis exigētib. ita Deus meus inferno appropinquauit vita mea, Si me liberabis, habeo unde tibi gratias agam, si inde non liberabis, non habeo unde te repræhendam, quoniam iustus es. Heu mihi qualis vixi, quanta mala feci & dixi? Pudet qui sic vixerim, Conscientia mea meretur damnationē, sed certum est, quoniam misericordia tua delet omnem offensionē. Dele ergo pie Domine iniquitatem meam, multitudine miserationum tuarum, per meritum tuæ acerbissimæ passionis & mortis, AMEN.

N BERN-

BERNHARDVS IBIDEM.

Cap. 34.

HEV miser, sæpe sum confessus surgens, cadens sum defessus, re peccando totiens, confitendo totiens, multotiens promisi me emendare, & nunquam tenui, sed semper ad peccatum redij, & prioribus scelerib. noua & deteriora coniunxi. Ecce peccata mea misericordissime Deus non abscondo, sed ostendo, accuso me, non excuso, quoniam iniquitatem meam cognosco. Desperare utiq; potuissẽ ppter nimia peccata mea, vitia, & infinitas negligentias meas, quas egi & quotidie indefinenter ago, corde, ore, & opere, & omnib. modis, quibus humana fragilitas peccare potest, nisi verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis. Sed desperare iam non audeo, quoniam subditus ille tibi vsq; ad mortem, mortem autem crucis, tulit chirographum peccatorum nostrorum, & affigens illud cruci, peccatum crucifixit & mortem. Ergo per vnigeniti Filij tui mortem te deprecor, vt deleas omnes iniquitates meas, ac mihi sis propitius miserrimo peccatori, vt à peccatis liberatus, ac iusticia Filij tui corã te iustificatus, laudẽ dicam nomini tuo, te-
que

que cum eodem tuo Filio, & Spiritu sancto
glorificem ex hoc nunc & in perpetuum,
A M E N.

HIERONY. IN AGONE.

TÆDET animã meam vitæ meæ, lo-
quar in amaritudine animæ meæ, ægro-
tus sum, Infirmata est in paupertate vita
mea, ossa mea sicut in fritorio cōfrixæ sunt,
Et ideo ad te DOMINE curro Medicum,
Sana me Domine, & sanabor, Saluum me
fac, & saluus ero, Et quoniam in te confido
non erubescam. At quis ego sum pijsime
Deus, vt tam audacter loquar ad te? Pec-
cator sum, in peccatis totus natus, & genit⁹
& educatus, cadauer putridum, vas foetidū,
esca vermium. Heu mihi Domine, parce
mihi, Quæ victoria? si pugnando mecū me
vinceres? Qui sum minus quã stipula ante
faciem venti. Dimitte omnia peccata mea,
& erige de stercore pauperem, Certe Do-
mine si placet, dicam, Non debes ad te cur-
rentem fugere, quia tu es Deus meus, caro
tua de carne mea, & ossa tua de ossib. me-
is. Propter hoc namque non relinquens
patris dexteram, adhæsisti meæ humanita-
ti, factus Deus & Homo, & quod prius eras
permanēs, in vna eademq; persona. Et hoc
N 2 quare

quare tam arduum, & inopinabile perpetrasti, nisi vt confidenter ad te recurrerē quasi ad fratrem, & vt mihi tuam misericorditer condonares diuinitatem? Quapropter exurge & adiuua me Domine, exurge, & ne repellas me in finē. Sicut Ceruus desiderat ad fontes aquarū, ita sitiens anima mea petit te fontē viuum, vt hauriat aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris, ne siciat amplius, quando veniet & apparebit ante faciem tuam. Veni gaudium spiritus mei, vt deleter in te, Reuela mihi misericordiā tuam, lætitiā cordis mei. Inueniam te desiderium meum, Intret postulatio mea in conspectu tuo Domine, vt fiat manus tua vt saluum me faciat. Ecce virum qui descendens in Hiericho, captus à latronibus, vulneratus sum, semiuuius relictus sum, tu pie Samaritane recipe me, Peccaui nimis in vita mea, & malum coram te feci, à planta pedis vsq; ad verticem capitis non est in me sanitas, Certe nisi in ligno crucis moriens me adiuuisses, digna erat habitare in inferno anima mea. Ego pie Iesu sum pars tanti pretij, pro me sudasti sanguinem pretiosum, non me refutes, Ego sum ouis quæ erraui, require eam bone pastor, & appone eam ouili tuo, vt iustificeris in sermonibus tuis, nam pro-
 mi-

misisti mihi, quod quacunq; hora peccator
 ingemuerit, saluus erit, Dolens factus sum,
 iniquitates meas ego cognosco, & delicta
 mea coram me sunt, Vere non sum dignus
 vocari filius tuus, quia peccaui in coelum &
 coram te, Auditui meo da gaudium & læti-
 tiam, Auerte faciem tuam à peccatis meis,
 Dele iniquitates meas, secundum magnam
 misericordiam tuam, Ne proijcias me à fa-
 cie tua, Non secundum peccata mea facias
 mihi, neq; secundum iniquitates meas re-
 tribuas mihi, sed adiuua me Deus salutaris
 meus, & propter honorem nominis tui li-
 bera me, Benigne fac in bona voluntate
 tua, vt habitem in domo tua omnibus die-
 bus vitæ meæ, & in seculum seculi cum ha-
 bitantibus in ea laudem te, A M E N.

CYPRIANVS.

CLEMENTISSIME magister IE-
 SV CHRISTE, quoties ego doctri-
 næ tuæ transgressus sum regulá, quoties e-
 dicta tua Domine sancte, contempsi? & cū
 diceres mihi reuertere, nō sum reuersus, cū
 minareris, nō timui, cum bonus esses & le-
 nis, exasperás fui, vltra septuagies septies, in
 coelum & coram te peccaui. Quis tot sordes
 abluet? Quis abradet stercora conglobata?

N 3 Quic-

Quicquid dicat Petrus, necesse est, vt ipse nos abluas, neq; enim lauare nos possumus, sed in omnibus quæ agimus, indulgentias tui lauacri indigemus. Ad mensæ tuæ participationem Iudas proditor est admissus, sed ab hoc lauacro salutari exclusus, lauari in fine non potuit, qui Apostolatus sui honorem detestabili cupiditate fœdauit. Quia vero apud te est fons vitæ, & miserationū quæ à seculo sunt, profunditas infinita, quos abluisti in Baptismo, quos lauasti sanguine tuo, quos semper lauas, quotidiana peccata donando, transfer à paludibus seculi huius, & luto vitæ præsentis ad pergratissimum gloriæ tuæ regnū, vbi nec scabies vlla, nec lippitudo, vbi nemo fluxum sanguinis patiens, nemo immundus, vbi nullo amplius opus est lauacro, consignato corpore claritatis tuæ corpore nostro, secundum promissa tua, necesse est vt impleas, & hoc quod cœpisti in nobis, bonū opus perficias, solidesq; per Christum vnicum Dominum & Saluatorem nostrum, A M E N.

ECCLESIA.

SVMMERERUM omnium Conditor, cum mecum reputo, quàm Maiestatem meis peccatis offenderim, horreo temeritatē meam,

am,

am, Cum considero, quàm benignū ac mirificum patrē reliquerim, detestor ingratitude meā, cum animaduerto à quàm beata libertate spiritus, in quàm miserā seruitutem me coniecerim, damno amentiam meam, totusq; mihi displiceo, nec aliud ob oculos versatur, nisi gehenna, & desperatio, videlicet terrente conscientia nostram tua ineuitabili iustitia. Sed ex aduerso cum cōtemplor, immensam illam tuam misericordiam, quæ iuxta Prophetæ testimonium, exuperat omnia opera tua, quaque te ipso quodammodo maior es, cū vndiq; sis omnium maximus, affulgens quædam lætior aura spei recreat animum meum. Cur enim desperem ab eo peccatorum veniam, qui in literis Prophetis, toties vltro inuitat peccatores ad pœnitentiā, clamans se nolle mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat? Tum quàm parata sit apud se venia resipiscentibus, multis parabolis nobis inculcauit vnigenitus tuus, velut drachmæ perditæ & inuentæ: Ouis ab errore humeris reductæ: Sed euidentius filij prodigi, cuius imaginem in me prorsus agnosco: impie reliqui parentem amantissimum, omnem illius substantiam nequiter prodegi, & dū carnis obsequor cupiditatibus,

tuorum præceptorum oblitus, in turpissimam seruitutem, vitiorum memet indui, & ad extremam inopiam redactus sum, nec video quo confugiam, nisi ad eum à quo profugi. Recipiat tua misericordia supplicem, quem hæctenus leniter passus es. Indignus sum qui ad te attollā oculos meos, aut qui patris nomine te compellem, sed tu quaeso digneris ad me flectere oculos tuos. Tuus enim intuitus facit, vt peccator mortuus reuiuiscat, perditus redeat ad cor. Siquidem hoc ipsum quod mihi nunc displiceo, tuo debeo cōspectui, procul abs te diuagantem intueri dignatus es, mihi que oculos reddidisti, vt viderem, in quantis versarer malis, occurristi relictæ innocentiae memoriam ac desiderium aspirans. Non peto cōplexum & osculum, seruus omni supplicio dignus, nō postulo stolam & annulum, pristinae dignitatis insignia, quæ proieci, Non oro vt in filiorum tuorum honorem me recipias, abunde magnum erit, si me inter extremæ sortis seruulos tuos admiseris stigmati-
cos, & è fuga receptos, vt saltem in aliqua parte tuorum hæream, quandoquidem in domo tua mansiones multæ sunt, nō piget in hac vita haberi inter abiectos, modo ne abs te separer in æternum. Obsecro te, &
obtestor

obtestor per mortem vnigeniti tui dilecti,
imperti mihi Spiritum tuum, qui purificet
cor meum, suaq; gratia confirmet, ne rela-
ber eò per incogitantiam meam, vnde sum
à tua clementia reuocatus, A M E N.

P R E C A T I O E X P S A L M I S
Davidis collecta, pro remissio-
ne peccatorum.

V E R B A mea aurib. percipe Domine,
intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ, Rex meus
& Deus meus, miserere & exaudi oratio-
nem meam.

In multitudine misericordiæ tuæ introi-
bo in domum tuam, adorabo ad templum
sanctum tuum.

Domine ne in furore tuo arguas me, ne-
que in ira tua corripas me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi,
& manus tua premit me.

Non est sanitas in carne mea à facie iræ
tuæ, non est pax ossibus meis, à facie pec-
catorum meorum.

Quoniã iniquitates supergressæ sunt ca-
put meum, & sicut onus graue grauatae sunt
super me.

Miserere mei secundum magnam miseri-

N 5 cor-

cordiam tuam, & secundum multitudinem
miserationum tuarum dele iniquitatē meā.

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à
peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatē meam ego cognos-
co, & peccatum meum coram me est sem-
per.

Tibi soli peccaui, & malum coram te fe-
ci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vin-
cas cum iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus
sum, & in peccatis concepit me mater
mea.

Auerte faciem tuam à peccatis meis, &
omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus, & Spiri-
tum rectum innoua in visceribus meis.

Neq; proijcias me à facie tua, & Spiri-
tum sanctum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiā salutaris tui, & Spi-
ritu principali confirma me.

Quoniam tu Domine bonus & propiti-
us, & multæ misericordiæ omnibus inuo-
cantibus te.

Tu Domine Deus miserator & miseri-
cors, tardus ad iram, & multæ misericor-
diæ & verax.

Erraui sicut ovis quæ periit, quære ser-
uum

uum tuum Domine, quia mandata tua non sum oblitus.

Ne intres in iudiciū cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quæ à seculo sunt.

Delicta iuuentutis meæ, & transgressiones meas ne memineris Domine.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam **D O M I N E.**

Propter nomē tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.

Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te.

Ne auertas faciem tuam à me, neq; abijcias in ira tua seruum tuum.

Quoniam non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi.

Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem, Nunquid gratias aget tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam?

Respi-

Respice & exaudi me Deus meus, illumina oculos meos, ne obdormiam in morte.

Ne longe facias miserationes tuas à me, misericordia tua & veritas tua, semper custodiant me.

In te Domine speravi, non confundar in æternum, in iustitia tua libera me, dixi Deus meus es tu.

Illustra faciẽ tuam super seruum tuum, & saluum me fac in misericordia tua.

Domine nõ confundar, quoniam inuocaui te.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Festina in adiutorium meum, Domine salutis meæ.

Quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, quia salus in vultu eius.

Miserator & misericors Dominus, tardus ad iram & multum misericors.

Non in perpetuum contendet, neq; in æternum irascetur.

Quoniã sicut altius est cœlum super terram, sic præualere fecit misericordiam suã super timentes se.

Quantũ distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras.

Quo-

DE POENITENT. 161

Quomodo miseretur pater filiorum, miseratus est Dominus timentibus se.

Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est quia puluis sumus.

Expecto Dominum, expectauit anima mea, in verbo eius speraui.

Anima mea expectat Dominum, à vigilia matutina vsq; ad aliam vigiliam matutinam.

Speret Israël in Domino, quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.

Bonus Dominus vniuersis, & miserationes super omnia opera eius.

H Y M N V S.

CH R I S T E qui es creator & redētor,
idem & saluator,

Cœli, terræ, maris, angelorum & hominum.

Quem solum Deum confitemur & hominem.

Qui peccatores venisti vt saluos faceres.

Sine peccato, peccati assumens formulâ.

Quorum de grege, vt Chananæam, Mariam visitasti Magdalenam.

Eadem

Eadem mensa verbi diuini, miris hanc
refouens poculis.

In domo Simonis leprosi conuiujs ac-
cubans typicis,

Murmurat Phariseus, vbi plorat foemi-
na criminis conscia.

Peccator contemnit cōpeccantem, pec-
cati nescius poenitentē exaudis, emundas,
foedam amas, vt pulchram facias.

Pedes amplectitur dominicos, lacrimis
lauat, tergit crinibus, lauando, tergendo,
vnguendo vnxit, oculis circuit.

Hæc sunt conuiuia, quæ tibi placent, ô
Patris sapientia.

Natus de virgine, qui non dedignatus
tangi à peccatrice.

A Phariseo es inuitatus, Mariæ fercu-
lis saturatus.

Multum dimittis, multum amanti, nec
crimen postea repetenti.

Dæmonijs eam septem mundans septi-
formi spiritu.

Ex mortuis resurgentem das cunctis te
videre priorem.

Hanc Christe profelitam signas Eccle-
siam, quam ad filiorum mensam vocas alic-
nigenam.

Quam inter conuiuia legis & gratiæ sper-
nit

nit Pharisei fastus, lepra vexat hæretica.

Qualis sit, tu scis, tangit te quia peccatrix, quia veniæ optatrix.

Quidnam haberet ægra, si non accepisset, si non medicus adesset?

Rex regum diues in omnes, nos salua peccatores, tergens cuncta crimina, sanctorum spes & gloria.

G R A T I A R V M A C T I O,
pro consecuta remissione peccatorum, ex Psalmis collecta.

BE A T I quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata:

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus.

Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.

Gustate & videte, quoniam suavis est **D O M I N V S**, beatus vir qui sperat in eo.

Benedic anima mea **D O M I N O**, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnium beneficiorum eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationib.

Qui replet bonis os tuum, renouat vt aquilæ iuuentutem tuam.

Miserator & misericors Dominus, tardus ad iram & multum misericors.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundū iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam sicut altius est cœlū supra terram, sic præualere fecit misericordiā suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, tam longe fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, miserus est Dominus timentibus se.

Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est, quoniam puluis sumus.

Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animā meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Bonitas & misericordia subsequētur me, omnibus diebus vitæ meæ, & habitabo in domo Domini in longitudine dierum.

Benedictus Dominus Deus Israël, à seculo vsq; in seculum.

F O R -

IX.

FORMVLAE PRE-
CANDI, ACCEDENTI-
um ad sacram Synaxin.

AUGVSTI. SOLILOQVIO.

Cap. 23.

DOMINE DEVS, Creator coeli & terræ, expectatio vnica Israël, desiderium ad quod suspirat cor nostrum quotidie, festina ne tardaueris, surge, propera & veni, vt educas nos de isto carcere, ad confitendum nomini tuo, vt gloriemur in lumine tuo, aperi aures tuas clamoribus lacrymarum pupillorum tuorū, qui clamant ad te: Pater noster, da nobis hodie panem nostrum quotidianum, in cuius fortitudine ambulemus ad montem sanctum tuum Oreb, Et ego paruulus inter paruulos familiae tuae, DEVS Pater & virtus mea, quando veniam & apparebo ante faciem tuam, vt qui nunc tibi confiteor ad tempus, tunc confitear tibi in æternum. Scio Domine scio, & confiteor me indignum vt intrem sub tectum tuum, sed fac propter honorem tuum, & ne confundas in te sperantem seruum tuum, Et quis intrabit in sanctuarium tuum,

O tuum,

tuū, ad considerandas potentias tuas, nisi tu aperiās? Quis autem aperiet, si tu claueris? Porro sēpiterna bonitas misericordiæ tuæ, qua fecisti omnia quæcūq; voluisti, Tu nos fecisti fabricator mundi, rege nos, tu nos creasti, ne spernas nos, quia opera tua sumus. O diues omnium bonarum dapum supernæ satietatis, opulentissime largitor Deus, da lasso cibum, collige dispersum, libera captiuum, vt liberis gressibus ingrediatur ad te, & requiescat in te, & reficiatur de te pane cœlesti. Tu enim es panis & fons vitæ, tu lumen claritatis æternæ. Veni rogo in cor meū, & ab vbertate voluptatis tuæ inebria illud, vt obliuiscar ista temporalia. Adiua me Domine Deus meus, & da lætitiā in corde meo, veni ad me, vt videā te. Sed angusta est mihi domus animæ meæ, quousq; venias ad eā, vt dilatetur à te, Rimosa est, refice eam, habet plurima quæ offendant oculos tuos, fateor & scio, sed quis mundabit eam, aut cui alteri præter te clamabo? Ab occultis meis libera me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Dulcedo amoris, comedat te venter meus, & nectare tui amoris repleatur viscera mea, & eructet mens mea verbum bonum, Caritas Deus meus, mel dulce, lac niueum, cibus es gran-

grandium, fac me crescere in te, vt sano palato possis manducari à me. Tu es vita mea qua viuo, spes cui inhæreo, gloria quam adipisci desidero. Tu cor meum tene, mentem rege, intellectum dirige, amorem erige, animum suspende, & in superna fluentia os sitientis te spiritus trahe, esuriens cœpi quærere te, ne deserar impastus à te, famelicus accessi, ne recedam impastus à te, Pauper veni ad diuitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuas & contemptus, propter nomen sanctum tuum & benedictum in secula, A M E N.

HIERO. IN AGONE.

DOMINE IESU CHRISTE, quis ego sum, vt sim dignus, qui sub tectum meum intres, Meruit hoc peccator homo? Certe Domine non sum dignus, Nunquid ego melior sum quam omnes patres mei? Tu noluisti Moisi vno ictu oculi te monstrare, Cur nunc tantum te humilias, vt patiaris ad hominem descendere publicanum & peccatorem? & non solum cum illo manducare vis, sed te ipsum ab illo te manducari iubes. Aue panis vitæ qui de cœlo descendisti, dans te sumentibus. digne vitam, certe qui te digne sumit, quanquam morte corporali ani-

ma à corpore separetur, nō morietur in æ-
 ternum, quia non illa separatio Mors est,
 sed de morte ad vitam transitus, Vnde qui
 te digne manducat in mundo moriens, te-
 cum æterne viuere incipit. Tu panis An-
 gelorum tua visione Angelos reficis & glo-
 rificas, Tu esca es animæ, non corporis, im-
 pinguans mentem, non ventrem, Tu te
 manducantem in te transmutas, vt tui par-
 ticipatione efficiatur Deus, nec tamen in
 illū transmutaris, velut alia corporea facit
 esca. Sed væ te indigne sumentibus. O esca
 sacratissima, quam vere comedens Deus
 efficitur, liberatur à malis, & impletur à bo-
 nis, & immortalis indubitanter efficitur. O
 sacrum peregrinationis nostræ viaticum,
 quo de hoc nequam seculo peruenitur ad
 cœli confortiū. Eia ergo fidelis anima, gau-
 de & epulare, ne moreris. His pascere deli-
 tijs ne pigeris, hoc fruire conuiuio in quo
 Saluatoris tui corpus sumendum proponi-
 tur, cecidit homo per cibum ligni vetiti
 ad miseriam, per te reuelatur ad æternam
 gloriam, A M E N.

A M B R O . P R E C A T I O

I. ad Missam.

S V M M E Sacerdos & vere Pontifex
 I E S V

I E S V C H R I S T E, qui te obtulisti Deo
 patri, in ara crucis hostiã puram & imma-
 culatam pro nobis miseris peccatoribus,
 & qui dedisti nobis carnem tuam ad man-
 ducandum & sanguinẽ tuum ad bibendũ,
 & posuisti mysteriũ in virtute Spiritus san-
 cti dicens: Hæc quotiescunq; feceritis, in
 mei memoriam facietis. Rogo te per tuum
 sanguinem preciosum, magnum salutis no-
 stræ precium. Rogo per hanc miram &
 ineffabilem charitatem, qua nos miseros &
 indignos sic amare dignatus es, vt lauares
 nos à peccatis nostris in sanguine tuo. Do-
 ce me seruũ tuum indignum, quẽ inter cæ-
 tera dona tua ad regnum tuum vocare dig-
 natus es, nullis meis meritis, sed sola digna-
 tione misericordiæ tuæ. Doce me quæso
 per Spiritum tuum, tantum mysterium tra-
 ctare ea reuerentia & honore, eaq; deuoti-
 one, & timore, quibus oportet & decet.
Fac me Domine Iesu Christe per gratiam
tuam semper illud de tãto mysterio crede-
re & intelligere, sentire & firmiter retine-
re, dicere & cogitare, quod tibi placet & ex-
pedit animæ meæ. Quanta enim Domine
 Iesu Christe cordis contritione, & lacry-
 marum fonte, Quanta reuerentia & tremo-
 re, quanta corporis castitate & animi puri-
 tate

rate, illud diuinum & coeleste sacrificium
 est celebrandum, vbi caro tua in verita-
 te sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bi-
 bitur, vbi summa imis iunguntur, vbi adest
 praesentia sanctorum Angelorum, vbi tu es
 Sacerdos & sacrificium, mirabiliter & in-
 effabiliter constitutus. Quis digne hoc ce-
 lebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens
 offerentem feceris dignum? Scio & vere
scio, & ipsum pietati tuae confiteor, quia non
 sum dignus accedere ad mysterium tantum,
 propter nimia peccata mea, & infinitas ne-
 gligentias meas. Sed scio veraciter, & credo
ex toto corde, & ore confiteor, quia potes
 me facere dignum, qui solus potes mundum
facere de immundo conceptum femine,
de peccatoribus, facere iustos & sanctos. Per
 hanc omnipotentiam tuam te rogo, vt co-
 cedas mihi peccatori ad hoc coeleste sa-
 crificium accedere, cum timore ac tremo-
re, cum cordis puritate & lacrymarum fon-
te, cum laetitia spirituali, & coelesti gau-
dio. Sentiatur mens mea dulcedinem bea-
 tissimae praesentiae tuae, & excubias sancto-
 rum Angelorum tuorum, in circuitu meo.
 Rogo te D O M I N E per ipsum sacrosan-
 ctum mysterium corporis & sanguinis
 tui, quo quotidie in Ecclesia pascimur &

pota-

potamur, abluimur & sanctificamur, Atque vnus tuæ summæque diuinitatis participes efficiamur, quatenus des mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus bona conscientia ad Altare tuum accedam, Ita vt hæc cœlestia Sacramenta efficiantur mihi salus & vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto & benedicto, Panis quem ego dederò, caro mea est, pro mundi vita. Et qui manducat me, vita viuet propter me, ipse manet in me, & ego in eo. Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, vt sentiam suauitatem amoris tui. Sana ab omni languore, vt nullam præter te, anem pulchritudinem, panis candidissime, habens in te omne delectamentum, & omnis saporis suauitatē, qui nos semper reficis, comedat te cor meum, & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Panis sancte, panis viue, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cœlo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamēto carnis & spiritus, intra in animam meam, sana & sanctifica me intus & exterius. Esto tutamē & perpetua salus corporis & animæ meæ, Repelle à me insidi-

O

4

antes

antes mihi, Hostes recedant procul à præ-
sentia tua, vt foris & intus per te muni-
tus, recto tramite perueniam ad tuum reg-
num, vbi non mysterijs, sicut in hoc tem-
pore agitur, sed facie ad faciem te videbi-
mus, cum tradideris regnum Deo patri, &
erit Deus omnia in omnibus, tunc me de
te satiabis satietate, vt nec esuriam, nec sitiã
in æternum. Qui cum eodem Deo Patre &
Spiritu sancto viuis & regnas per omnia se-
cula seculorum, A M E N.

E C C L E S I A.

A G O tibi gratias I E S V C H R I S T E,
pro ineffabili charitate, quod genus hu-
manũ tua morte sanctissima redimere dig-
natus es, & oro ne patiaris tuum sacrosan-
ctum sanguinem pro me frustra effusum ef-
se, sed tuo corpore pascas animum meum,
tuo sanguine viuifices spiritũ meum, vt ef-
ficiar idoneum membrum corporis tui *my-*
sterij, quod est Ecclesia, nec vnquam defi-
ciam ab illo sanctissimo foedere, quod in ex-
trema cœna distributo pane, & porrecto
poculo pepigisti cum discipulis tuis electis,
& per hos cum omnib. qui per Baptismum
in societatem tuam insiti sunt, A M E N.

A L I A.

Q V Æ

mysterij

QUÆ lingua aut quæ mens tibi gratias
 agere valeat Domine IESU, pro inef-
 fabili tua in nos charitate? Qui vt hominẽ
 perditum redimeres, homo fieri dignatus
 es, omnesq; nostræ conditionis iniurias in
 te recipere, deniq; in ara crucis Agnus om-
 nis expers maculæ, hostia pro nobis fieri su-
 stinuisti, pœnas nostris peccatis debitas ex-
 oluens, vt nos patri reconciliares, quin &
uiuens & moriens, te totum nobis impen-
disti, donasti, dedicasti, nec his conten-
ta fuit tua benignitas, sed ne quando nobis
obreperet tantæ charitatis obliuio, aut ne
languesceret nostra de te fiducia, etiam nũc
in coelis regnans, subinde reficis animas no-
stras, cibo corporis tui, & sacro sanguinis
tui poculo exhilaras, purificet quæso spiri-
tus cor nostrum, ne ad cœlestes epulas, &
ad mensam etiã ipsis Angelis tremendã,
accedam indignus, sed te diffuso in mentis
meæ viscera, grandescam in te ac vegetior
fiã spiritualib. incrementis, quo perseue-
rem in beata societate mystici corporis tui,
quod sic nũc tecum esse voluisti, quemad-
modum tu cum Patre vnus es, conglutinã-
te Spiritu sancto, cui laus & gratiarũ actio
in omne æuum, A M E N.

O m n i s G R A -

G R A T I A R V M A C T I O
post Communionem.

P S A L M. 23.

DO M I N V S regit me, & nihil mihi deerit.

In loco pascuæ me collocavit, super aquam refectiois deduxit me.

Animam meam recreavit, deduxit me super semitas iustitiæ propter nomē suum.

Nam etsi ambulauero in valle vmbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me.

Impinguasti oleo caput meum, & calix meus inebrians est.

Et bonitas & misericordia subsequenter me, omnibus diebus vitæ meæ.

Et habitabo in domo Domini, in longitudine dierum.

P S A L M. 103.

BE N E D I C anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.

Benedic anima mea D O M I N O, & noli

noli obliuisci omnium beneficiorum eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te misericordia & miserationibus.

Qui replet bonis os tuum, renouat ut Aquilæ iuuentutem tuam.

Faciens iustitias Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

Notas fecit vias suas Moysi, filijs Israël voluntates suas.

Miserator & misericors Dominus, tardus ad iram & multum misericors.

Non in perpetuum contendet, neq; in æternum irascetur.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quoniam sicut altius est coelum supra terram, sic præualere fecit misericordiam suam super timentes se.

Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.

Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, recordatus est quoniam puluis sumus.

HOMO

Homo sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflorescit.

Quoniam spiritus pertransit in illo, & nō subsistet, & non cognoscat amplius locum suum.

Misericordia autem Domini ab æterno, & vsq; in æternum, super timentes eum, & iustitia illius in filios filiorum.

His qui seruāt testamētū eius, & memores sunt mandatorū ipsius ad faciendū ea.

Dominus in cœlo parabit sedē suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes verbū ipsius, ad audiendum vocem sermonum eius.

Benedicite Domino omnes exercitus eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius, Benedic anima mea Domino.

P S A L M . I I I .

CONFITEBOR tibi Domine in toto corde meo, in concilio & congregatione iustorum.

Magna opera Domini, inquirenda propter omnia desiderabilia sua.

Glo-

Gloriosum & magnificum opus eius, iustitia eius manet in seculum seculi.

Memoriam fecit mirabiliū suorum, misericors & miserator Dominus.

Escam dedit timentibus se, memor erit in seculum testamenti sui.

Virtutem operum suorum annunciabit populo suo, vt det illis hæreditatem gentium.

Opera manuum eius veritas, & iudicium, fidelia omnia mandata eius.

Confirmata in seculum seculi, fiunt & sunt vera & recta.

Redemptionem misit populo suo, promittit fore æternum testamentum suum, Sanctum & terribile nomen eius.

Initium sapientiæ timor Domini, intellectus bonus omnibus facientibus illa, Laudatio eius manet in seculum seculi.

PSALM. II 6.

DILEXI, quod audiuit Dominus vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis inuocabo.

Circumdederunt me funes mortis, & anxietas inferni inuenerunt me, tribulationem & dolorem inueni.

Et

Et nomen Domini inuocaui, ô Domine
libera animam meam.

Misericors Dominus & iustus, & Deus
noster miseretur.

Custodiens paruulos Dominus, humili-
atus sum & liberauit me.

Reuertere anima mea in requiem tuam,
quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animã meã de morte, ocu-
los meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.

Ambulabo coram Domino, in terris vi-
uorum.

H Y M N V S.

LA V D A Sion Saluatorem,
Lauda ducem & pastorem
In hymnis & canticis.

Quantum vales, tantum aude,
Quia maior omni laude,
Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis,
Panis viuus & vitalis
Hodie proponitur.

Quem in sacra mensa coenæ
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit iucunda, sit decora,

Men-

Mentis iubilatio.

Dies enim solennis agitur,
In qua mensæ primæ recolitur
Huius institutio.

In hac mensa noui Regis,
Nouum pascha nouæ legis,
Phase vetus terminat.

Vetustatem nouitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit,
In sui memoriam.

Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam.

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.

Sub diuersis speciebus,
Signis tantum & non rebus,
Latent res eximiæ.

Caro cibus, sanguis potus,
Manet tamen Christus totus,
Sub vtraq; specie.

A fumente non concisus,
Non confractus, nec diuisus,
Integer accipitur.

Sumit

Sumit vnus, sumunt mille,
Quantum isri, tantum ille,
Nec sumtus absumitur.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquali,
Viræ vel interitus.

Mors est malis, vita bonis,
 Vide, paris suntionis
 Quam sit dispar exitus.

Fracto demum Sacramento,
 Ne vacilles, sed memento,
 Tantum esse sub fragmento,
 Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura,
 Signi tantum fit fractura,
 Qua nec status nec statura
 Signati minuitur.

Ecce panis angelorum,
 Factus cibus viatorum,
 Vere panis filiorum,
 Non mittendus canibus.

In figuris præsignatur,
 Cum Isaac immolatur,
 Agnus paschæ deputatur,
 Datur manna patribus.

Bone pastor, panis vere,
 I E S V nostri miserere,
 Tu nos pasce, nos tuere,

Tu

Tu nos bona fac videre,
 In terra viuentium.
 Tu qui cuncta scis & vales,
 Qui nos pascis hic mortales,
 Tuos ibi commensales,
 Cohæredes & sodales
 Fac sanctorum ciuium.

H Y M N V S T H O M A E
 Aquinatis.

P A N G E lingua gloriosi
 Corporis mysterium,
 Sanguinisq; pretiosi
 Quem in mundi pretium
 Fructus ventris generosi
 Rex effudit gentium.
 Nobis natus, nobis datus
 Ex intacta virgine,
 Et in mundo conuersatus
 Sparso verbi semine.
 Sui moras incolatus
 Miro clausit ordine.
 In suprema noctis cœna
 Recumbens cum fratribus
 Obseruata lege plene
 Cibis in legalibus
 Cibum turbæ duodenæ
 Se dat suis manibus.

P Verbum

Tu

Verbum caro , panem verum,
 Verbo carnem efficit,
 Fitq; sanguis Christi merum,
 Etsi sensus deficit,
 Ad firmandum cor syncerum,
 Sola fides sufficit.

Tantum ergo Sacramentum
 Veneremur cernui,
 Et antiquum documentum
 Nouo cedat ritui,
 Præstet fides supplementum
 Sensuum defectui.

Genitori , genitoq;
 Laus & iubilatio,
 Salus , honor , virtus quoq;
 Sit & benedictio ,
 Procedenti ab utroq;
 Compar sit laudatio , A M E N .

X.

FORMULAE PRE-
 CANDI, PRO OBEDI-
 entia & nouitate
 vitæ.

AVGVSTI. MEDITA.

Cap. I.

DOMI-

DOMINE DEVS meus, da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo inuenire, inueniendo amare. Extingue in me desideria carnis, & accende ignem tui amoris. Expelle à me spiritum superbiae, & concede propitius thesaurum humilitatis tuæ. Amoue à me furorem iræ, & indulge mihi benignus scutum patientiæ: Da mihi solidam fidem, spem congruam, charitatem continuam, auerte à me vanitatem mentis, inconstantiam, opprobria proximorum, scelera detractionum, diuitiarum cupidinem, inanis gloriæ appetitum, hypocrisis malum, adulationis venenum, contemptum inopum, oppressionem debiliū, auaritiæ ardorem, inuidiæ rubiginem, blasphemiae mortem. Deus misericordiae mea, oro te per dilectum Filium tuum, da mihi misericordiae opera, pietatis studia, cōpati afflictis, consulere erroneis, succurrere miseris, subuenire egenis, consolari mœstos, releuare oppressos, pauperes recreare, dimittere debitoribus, parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despiciere, sed honorare, bonos imitari, malos cauere, virtutes amplecti, vitia reijcere, in aduersis patientiam, in prosperis continen-

P 2 tiam,

tiam, custodiam oris, & ostium circumstantiæ labijs meis, terrena calcare, cœlestia sitire. Fac Domine virtus salutis meæ, ne sim de numero illorum, qui ad tēpus credunt, & in tempore tentationis recedūt. Obumbra caput meum in die belli, spes mea in die afflictionis, & salus in tempore tribulationis. En Domine illuminatio mea & salus mea, rogavi quibus egeo, intimaui quæ timeo. Da quæ peto, per Filium tuum Salvatorem nostrum, benedictum in secula, A M E N.

C Y P R I A N V S.

HAGIOS, Hagios, Hagios, sancte Sanctorum, P A T E R patrū nostrorum, D E V S A B R A H A M, D E V S I S A A C, D E V S I A C O B, Deus Apostolorum, Deus Prophetarum, Deus Virginum, Deus credentium, D E V S & Pater Domini nostri I E S V C H R I S T I Filij tui, Te inuocamus suppliciter, pariter & deprecamur, qui ex ore altissimi procreatus es, ante mundi dispositionem, & ex M A R I Æ sanctæ virginis utero per mysterium æditus. Orantibus nobis, desiderium animæ, & integritatem cordis præstare digneris, vt lauacro salutari recreatum pectus, à delictis carnalibus

bus

bus incolune persistat. Petimus, fide illibata, mente incorrupta, deuotione robusta, operatione, seu dilectione continua, vt in Ecclesia tua sancta nos florere permittas. Quoniã tibi flectimus genua, & curuamus ceruices, cui Angeli & Archangeli, millia millium Martyrum, chorus Apostolorum, & Prophetarum gloria exultant, cui omnes aues cantant laudes, linguæ confitentur cœlestiũ, terrestriũ & infernorum. Tibi omnes aquæ in cœlo cõfitentur, te insensibilia sentiunt, tu es solus, & præter te nemo. Te quæsumus Domine Pater omnipotens, qui soli Filio conspectabilis es, cui Angeli & Archangeli obtemperant, Te oramus, vt tribuas nobis mentem integram, innocentiam, synceritatem deuotam, conscientiam sanctam, puram, sobriam, castam, contra omnes insidias seculi, gloriosa fide degentem, contra Diaboli minas, & carnales illecebras, munitũ pectus concedas, ne violentis & cruentis letalibus laqueis implicemur, vt signum salutis æternæ incolune perferamus, Pelle à nobis omnẽ seculi luxum & illuuiem, omnemq; Diaboli persuasionem, Qui sedes super Cherubin, & super thronos ad dexterã Patris, respice nos, & libera nos de æternæ mortis interitu

186 P R O N O V I T A T E

Vnus in vno, Pater in Filio, Filius in patre,
Spiritus sanctus cum Patre & Filio, Per
quem, & cum quo, est tibi in sancta Eccle-
sia honor, virtus, claritas, Maiestas, po-
testas, immortalitas, & nunc & in æternū,
semper & in omnia secula seculorū, Amen.

E C C L E S I A.

PR O T E C T O R in te sperantium De-
us, sine quo nihil est validum, nihil san-
ctum, multiplica super nos misericordiam
tuam, vt te rectore, te duce, sic transe-
amus per bona temporalia, vt non amitta-
mus æterna, per Dominum nostrū Iesum
Christum Filium tuum, qui tecum viuit &
regnat in vnitae Spiritus sancti Deus, per
omnia secula seculorum, A M E N.

P R E C A T I O P R O N O V I T A -
te vitæ ex Psalmis
collecta.

AD te D O M I N E leuavi animam me-
am, Deus meus in te confido non e-
rubesco.

Vias tuas demonstra mihi, & semitas tu-
as edoce me, Dirige me in veritate tua &
doce me, quia tu es Saluator meus, in te
speraui tota die.

Doce

Doce me Domine viam tuam, & dirige me in semita recta propter inimicos meos.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.

Ne proicias me à facie tua, & spiritum tuum ne auferas à me.

Redde mihi lætitiã salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Doce me Domine viam tuam, & ingrediar in veritatem tuam.

Vnias cor meum, vt timeat nomen tuum, da fortitudinem seruo tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ.

Retribue seruo tuo vt viuã, & custodiam sermones tuos.

Vias mandatorum tuorum fac me intelligere, & loquar de mirabilibus tuis.

Viam mendacij amoue à me, & legem tuam dona mihi.

Legem pone mihi Domine viam statutorum tuorum, vt custodiam ea semper.

Da mihi intellectum, vt obseruem legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

Deduc me in semita mandatorum tuorum, quia ijs delector.

Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad auaritiã.

Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me, confirma seruo tuo eloquium tuum, vt timeam te.

Ecce concupiui mandata tua, in iustitia tua viuifica me.

Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum secundum eloquium tuum.

Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.

Fiat misericordia tua vt consoletur me, secundum eloquium tuum seruo tuo.

Veniât mihi miserationes tuæ & viuam, sit cor meum immaculatum in statutis tuis, & non confundar.

Tuus sum ego, saluum me fac, suscipe me secundum eloquium tuum & viuam, & non confundas me ab expectatione mea.

Adiuua me & saluus ero, & delectabor statutis tuis semper.

Gressus meos dirige secundum eloquiũ tuũ, & nõ dominetur mihi omnis iniustitia.

Sustenta gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.

Redime me à calumnijs hominum, & custodiam mandata tua.

Faciem

Faciem tuam illumina super seruum tuum, & doce me statuta tua.

Pone Domine custodiam ori meo, & conserua ostium labiorum meorum.

Ne declines cor meum ad rem malam, ne occuper operibus iniquitatis.

Doce me facere voluntatem tuam quia Deus meus es tu, spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vnquam, quia in iudicijs tuis speraui.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis sit, vt sciam quod ego esse desinam.

O R A T I O.

DEVS à quo sancta desideria, recta consilia & iusta sunt opera, da seruis tuis illam quam mundus dare nō potest pacem, vt & corda nostra mandatis tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla, Per Dominum nostrum I E S V M, &c.

A L I A.

PR O T E C T O R in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam

P S tu-

190 P R O N O V I T A T E

tuam, vt te rectore, te duce, sic transeamus
per bona temporalia, vt non amittamus
æterna, Per Dominum nostrum, &c.

A L I A.

D O M I N E pater & Deus vitæ meæ,
ne derelinquas me in cogitatu mali-
gno, extollentiam oculorum meorum ne
dederis mihi, & desiderium malignum a-
uerte à me. Domine aufer à me concupif-
centiam, & animo irreuerenti & infrunito
ne tradas me.

V E R S V S.

Fiat cor meum immaculatū, & in iusti-
tia tua libera me.

Domine aufer &c.

A L I V S.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

A L I A.

O M N I P O T E N S mitissime Deus,
respice propitius ad preces nostras, &
libera corda nostra de malarum tentatione
cogitationum, vt sancti Spiritus dignum
fieri habitaculum mereamur, Per Dominū
nostrum Iesum Christum, &c

A L I A.

D E V S

DE V S à quo bona cuncta procedunt,
largire supplicibus tuis, vt cogitemus
te inspirante quæ recta sunt, & te guber-
nante eadē faciamus, Per Dominum, &c.

P R O L O C U T I O N E
accepta.

VE R B V M iniquum & dolosum longe
fac à me Domine, da sermonem rectū
& bene sonantem in os meum, & ne clau-
das ora canentium te: diuitias & pauperta-
tes ne dederis mihi: sed tantū victui meo
tribue necessaria.

V E R S V S.

Ne forte satiatus euomam illud, & per-
iurem nomen Dei mei.

Sed tantum victui meo, &c.

A L I V S.

Dixi custodiam vias meas.

Vt non delinquam in lingua mea.

O R A T I O.

LI N G V A M fidelium tuorum & vota
quæsumus omnipotens DEVS, in lau-
dem tuæ maiestatis semper extende, & ad
vsum temporaliū demtis superfluis clemē-
ter restringe, Per Dominum nostrum &c.

A L I A.

N E-

192 P R O N O V I T A T E

NE derelinquas me Domine pater & dominator vitæ meæ, vt non corruā in conspectu aduersariorum meorum. Ne gaudeat de me inimicus meus.

V E R S V S.

Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.

Ne gaudeat.

A L I V S.

Laudans inuocabo Dominum,
Et ab inimicis meis saluus ero.

O R A T I O.

ACTIONES nostras quæsumus Domine & aspirando præueni, & adiuuando persequere, vt cuncta nostra operatio, sensus & oratio, semper à te incipiat, & per te cepta finiatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum &c.

P R O C H A R I T A T E.

VBI charitas & dilectio, ibi sanctorū est congregatio, ibi nec ira est, nec indignatio, sed firma charitas in perpetuū. Diligamus ergo nos inuicē, quia charitas ex Deo est, & qui diligit fratrem suū ex Deo natus est & manet in eo, & vbi fratres in vnum glorificent Deū, ibi dabit Deus benedictionē.

V E R.

V E R S V S.

Mandatum nouum do vobis.
 Vt diligatis inuicem sicut dilexi vos di-
 cit Dominus.

O R A T I O.

DE V S pacis charitatisq; amator & cu-
 stos, da omnibus inimicis nostris pacē
 charitatemq; veram, cunctorum quoq; re-
 missionem eis tribue peccatorum, & nos
 ab eorum insidijs potenter eripe, Per Do-
 minum nostrum &c.

P R O H V M I L I T A T E.

DE V S qui superbis resistis & gratiam
 præstas humilibus, auge in nobis veræ
 humilitatis virtutem, cuius in se formā fi-
 delibus vnigenitus tuus exhibuit, vt nun-
 quam indignationem tuā prouocemus cla-
 ti, sed propitiatiōis tuæ capiamus dona sub-
 iecti, aufer quoq; à nobis concupiscentiam
 carnis & oculorum atq; ambitionē seculi,
 vt coram te sobrie, iuste, casteq; viuamus
 & æternam salutem cōsequamur, Per Do-
 minum nostrum Iesum Christum &c.

P R O C A S T I T A T E.

VR E igne sancti Spiritus renes nostros
 & cor nostrum Domine, vt tibi casto

COR-

corpore seruiamus, & mundo corde placeamus, Per Dominū nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit &c.

CONTRA TEMPESTATES
aëris & tonitrua.

TITVLVS triumphalis Iesus Nazare-
nus rex Iudæorum defendat me. Ecce
nomē Domini fugite partes aduersæ. Vicit
leo de tribu Iuda radix Dauid. Alleluia. Ky-
rie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.
Pater noster. Et ne nos. Domine exaudi o-
rationem meam. Et clamor &c.

ORATIO.

OMNIPOTENS sempiterne Deus,
parce metuentibus, propitiare supplicā-
tibus, vt post noxios ignes nubium & vim
procellarum, ad gloriam tuæ laudis tran-
seat commutatio tempestatis. Per Domi-
num nostrum Iesum Christum &c.

ALIA.

ADOMO tua quæsumus Domine ne-
quitia repellantur, & aëriarum disce-
dat malignitas tempestatū, Per Dominum.

PRO ITER AGENTIBVS.

DEDUC me Domine in via tua, & in-
grediar in veritate tua. Lætetur cor me-
um, vt timeat nomen tuum.

FOR-

FORMVLAE PRE-
CANDI, SVB CRUCE
& afflictione.

AUGVSTI. MEDITAT.

Cap. 38.

MISERERE DOMINE, misere-
re, pie miserere mihi miserrimo pec-
catori, indigna agenti & digna patienti, as-
sidue peccanti & tua flagella quotidie su-
stinenti. Si pendo malum quod feci, non
est tantū quod patior, grauius est quod cō-
misi, leuius est quod tollero. Iustus es DO-
MINE, & rectum iudicium tuum, om-
nia iudicia tua iusta sunt, & vera. Iustus
& rectus es tu DOMINE, Deus noster, &
non est vlla iniquitas in te. Non enim in-
iuste neque crudeliter affligis nos pecca-
tores, omnipotens & misericors DOMI-
NE. Scio & certus sum, quod vita no-
stra non temerarijs motibus agitur, sed à te
Domino Deo nostro disponitur & guber-
natur. Vnde tibi cura est de omnib. præci-
pue de seruis tuis, qui totam spem suam po-
suerunt in sola misericordia tua. Iccirco
obsecro

obsecro & suppliciter rogo, vt non facias mihi secundum peccata mea, quibus iram tuam merui, sed secundum magnam tuam misericordiam, quae superat etiam peccata totius mundi. Tu Domine qui exterius flagella irrogas, da semper interius indeficientem patientiam, ita vt laus tua non recedat de ore meo. Miserere mei Domine, miserere mei, & adiuua me, sicut tu nosti quod mihi necesse est, in corpore & anima. scis omnia, potes omnia, qui viuis in secula, A M E N.

B E R N H A R D V S.

A V E benignissime Domine Iesu Christe, victor mortis, largitor gratiarum, spes & consolator omnium mœstorum, miserere mei, & consolare me in omnibus tribulationibus & necessitatibus meis, secundum benignissimam voluntatem tuam, propter sanctissimum nomen tuum Iesus, in æternum benedictum, A M E N.

A M B R O. P R E C A T I O.

2, ad Missam.

O D O M I N E si flagello temporali, scelera mea vindicanda prouideris, lacrymosus imploro, vt dum contra hæc iratus descœuis, semper in ira misericordiae recorderis.

deris. Quem enim diligis corripis. Flagellas autem omnem filium quem recipis, quibus nimirum verbis, etsi virga percussiois minatur, paternus tamē pietatis affectus monstratur. Da rogo inter flagella tolerantiam, ne murmurationis notam, ut malus seruus incurram, sed magis quasi bonus filius gratiarum actiones rependam, AMEN.

CYPRIANVS.

DOMINE IESV CHRISTE, qui fecisti coelum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & profundū abyssi intueris, Qui siccis pedibus super undas maris ambulasti, & Petrum mergentem manu erexisti, & Paulū ter de naufragio liberasti, Libera nos de magnis fluctibus huius pelagi, ut viuentes benedicamus nomen tuum, in secula. Mittere etiā Domine dignare sanctū Angelum tuum de cœlis, ut sit dux vitæ nostræ, sicut fuit quondam patribus nostris, quando eduxisti eos de terra Ægypti, in fortitudine magna, & in manu tua valida. Et perduc nos recto itinere, ad locum optatū in regnū tuum, ubi cū Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, in secula seculorum, AMEN.

ECCLESIA.

Q CLE-

CLEMENTISSIME Redētor, qui
 semper es misericors, semper es serua-
 tor, siue tristia nobis immittis, siue læta;
 Magna enim misericordia est, dum per ex-
 ternas afflictiones, veluti per amara phar-
 maca, sanas hominem interiorem, perque
 tēporarias molestias, præparas nos ad sem-
 piterna gaudia, quandoquidē hanc ad ve-
 ram felicitatem viam, ipse nobis tuis præ-
 signasti vestigijs, da vt hunc calicē velu-
 ti abs te porrectum bibā patienter, & obe-
 dienter, Sunt hæc quidē naturæ molesta,
 Sed & tu pro me grauiora passus es, & ego
 longe grauiora merui, qui toties merui ge-
 hennam. Nosti tamen humanæ conditi-
 onis fragilitatem, eoq; veluti clemens ille
 Samaritanus, vulneribus nostris infundis
 vinum emordens vitia nostra, sed addis
 oleum tuæ consolationis, quo, quæ nobis
 intolerabilia, toleremus. Si visum est ad-
 dere doloribus, adde & paciētiae dono, vt
 seruatus laudem te, ac glorificem nomen
 tuum in secula seculorum, A M E N.

P R E C A T I O S V B C R V C E,
 ex Psalmis collecta.

CV Minuoco exaudi me Deus iustitiæ
 meæ, in tribulatione qui me consolaris
 miserere

miserere mei, & exaudi orationem meam.

Ad te Domine clamabo, petra mea ne
fileas à me, ne quando taces tu similis fi-
am descendentibus in lacum.

Inclina ad me aurem tuam, accelera vt
eruas me, esto mihi in petrâ fortem, & in
domum munitam, vt saluum me facias.

Quoniam petra mea & munitio mea es
tu, & propter nomen tuum doces me &
regis me.

Miserere mei Domine, quoniam tribu-
lor, contabescit præ ira oculus meus, ani-
ma & venter meus.

Quoniam deficit in dolore vita mea, &
anni mei ingemitibus.

Exurge Domine saluum me fac Deus
meus, exurge Domine Deus, & exaltetur
manus, ne obliuiscaris pauperum.

Respice in me & miserere mei, quia
unicus & pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ
sunt, de necessitatibus meis erue me.

Custodi animam meam, & erue me,
non erubescam, quoniam speravi in te.

Custodi me vt pupillam oculi, sub um-
bra alarum tuarum protege me.

Ne auertas faciem tuâ à me, neq; abij-
cias in ira tua seruum tuum.

merolob

Q. 2 Adu-

Adiutor meus esto, ne derelinquas me,
neq; deseras me Deus salutaris meus.

Amoue à me plagas tuas, à castigatione
manus tuæ ego defeci.

Ne abscondas faciem tuam à seruo tuo,
quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Appropinqua animæ meæ, & libera eā,
tu scis improperium meum, & ignominiā
meam.

Deus ne elongeris à me, Deus meus in
auxilium meum festina.

Custodi animam meam, quoniam san-
ctus sum, saluum fac seruum tuum Deus
meus sperantem in te.

Quia ad te Domine oculi mei, in te spe-
raui, ne effundas animam meam.

Propter nomen tuum Domine viuifica
bis me, & propter iustitiam tuam educes
de tribulatione animam meam.

In iustitia tua libera me, & eripe me,
esto mihi in petram fortē quo semper con-
fugiam, qui promisisti vt saluum me facias.

Tibi dixit cor meum, requirite faciem
meam, faciem tuam Domine requiram.

Vsquequo Domine obliuisceris mei in
perpetuum, vsquequo abscondis faciē tu-
am à me?

Quamdiu ponam cōsilia in anima meā,
dolorem

dolorem in corde meo per diem.

Oculi mei languerunt propter afflictionem, clamaui ad te Domine, tota die expandi ad te manus meas.

Nunquid mortuis facies mirabilia? aut mortui resurgent & confitebuntur tibi?

Nunquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam? & veritatem tuam in perditione?

Nunquid cognoscetur in tenebris mirabilia tua? & iustitia tua in terra obliuionis?

Vt quid Domine repellis animam, abscondis faciem tuam a me?

Non est in morte qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

Sile Deo anima mea, quoniam ab ipso spes mea, quia ipse petra mea, & saluator meus, & non moueor.

In Deo salutare meum, & gloria mea, petra fortitudinis, spes mea in Deo est.

Propter nomē tuum Domine viuificabis me, & propter iustitiam tuam educes de tribulatione animam meam.

O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ.

Tibi sacrificabo hostiam laudis, vota mea tibi reddam in conspectu omnis populi, AMEN, AMEN.

Q 3 ORA-

ORATIO.

PRECES populi tui quæsumus Domine clementer exaudi, vt qui iustè pro peccatis nostris affligimur, pietatis tuæ visitatione consolemur, Per.

ALIA.

DEVS qui nos in tantis periculis cōstitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus, Per.

ALIA.

PRECES nostras quæsumus Domine clementer exaudi, & contra cuncta nobis aduersantia dexterâ tuæ maiestatis extende, Per.

ALIA.

PRECES populi tui quæsumus Domine clemēter exaudi, vt qui iuste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur, Per.

ALIA.

CONCEDE quæsumus omnipotens Deus, vt qui protectionis tuæ gratiam
quæ-

querimus, liberati à malis omnibus secura
tibi mente seruiamus, Per.

ALIA.

PRÆSTA quæsumus omnipotēs De-
us, vt qui in tua protectione confidi-
mus, cuncta nobis aduersantia te adiu-
uante vincamus, Per.

ALIA.

DA quæsumus omnipotēs Deus, vt qui
in tot aduersis ex nostra infirmitate
deficimus, intercedente vnigeniti Filij tui
passione, respiremus, Qui tecum.

ALIA.

PRÆSTA quæsumus omnipotens De-
us, vt qui nostris excessibus incessan-
ter affligimur, per vnigeniti tui passionē
liberemur, Qui te, &c.

ALIA.

OMNIPOTENS mæstorū conso-
latio, laborantium fortitudo: perueni-
ant ad te preces de quacunq; tribulatione
clamantium, vt omnes sibi in necessitatib.
suis misericordiam tuam gaudeant affuis-
se.

ALIA.

Q 4 PRÆ-

PRÆSTA quæsumus omnipotēs De-
us, vt qui in afflictione nostra de tua pie-
tate cōfidimus, contra aduersa omnia, tua
semper protectione muniamur, Per Do-
minum &c.

GRATIARVM ACTIO PRO
liberatione ex cruce & affli-
ctione.

EXPECTANS expectaui Dominū,
& inclinatus est ad me, & exaudiuit
preces meas.

Et eduxit me de lacu miseræ, & de lu-
to fecis, & statuit supra petram pedes me-
os, & direxit gressus meos.

Confitebor tibi Domine in toto corde
meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Lætabor & exultabo in te, psallam no-
mini tuo altissime.

Exultabo & lætabor in misericordia
tua, quoniã respexisti afflictionē meam, &
cognouisti in tribulatione animam meam.

In tribulatione mea inuocaui Dominū,
& ad Deum meum clamaui, & exaudiuit
me de templo sancto suo vocē meam, &
clamor meus in conspectu eius introiuit
in aures eius.

Misit de summo & accepit me, & assum-
sit me de aquis multis. Quis

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, humilia respicit in caelo & in terra.

Benedictus Dominus quotidie, onus imponit nobis, & tamen salus est nostra.

Multae tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

In Domino gloriabitur anima mea, vt audiant afflicti & laetentur.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius simul.

Exquisivi Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus pauoribus meis eripuit me.

Qui aspiciunt ad eum, & ad eum conflunt, eorum facies non confundentur.

Castrametatur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus, beatus vir qui sperauit in eum.

Date gloriam Deo, super Israel magnificentia eius, & robur eius in nubibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis, ipse est Deus Israel, dabit virtutem & fortitudinem plebi, Benedictus Deus.



XII.

FORMULAE PRE-
CANDI, SVB PERSECVTIONE
contra inimicos & hostes.

AVGVSTI, SOLILOQVIO.

Cap. 12.

DOMINE IESV CHRISTE
redemptor & liberator meus, te pre-
cor per te, adiuua me, ne corruam in con-
spectu aduersariorum meorum, captus la-
queis eorum, quos parauerunt pedib. me-
is, vt incuruent animam meam. Sed erue
me virtus salutis meae, ne sibi risum exhibe-
ant de me inimici mei, qui oderunt te. Exur-
ge Domine Deus meus, fortis meus, &
dissipetur inimici tui, & fugiat qui oderunt
te a facie tua, sicut fuit cera a facie ignis,
sic pereant peccatores a facie tua, Et ego
abscondar in abscondito faciei tuae, & gau-
deam cum filiis tuis satiatus omnib. bonis.
Et tu Domine Deus pater orphanorum, &
tu pater pupillorum tuorum, audi eiulatum
filiorum tuorum, & extende alas tuas, vt fu-
giamus sub eis a facie inimici. Turris forti-
tudinis Israel, quia non dormitas, neq; dor-
mies custodiens Israel, quia non dormit,
neq;

neq; dormitat hostis qui impugnat Israël.

PRECATIO PRO LIBERATIONE de manu inimicorum, ex Psalms collecta.

IN te Domine speravi non confundar in æternum, in iustitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Iudica **D**OMINE cum contendentibus mecum, pugna cum pugnansibus contra me.

Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi.

Stringe frameam & protege me, adversus eos qui persequuntur me.

Confundantur & pudefiant quærentes animam meam, auertantur retrorsum & confundantur, cogitantes mihi mala.

Fiant tanquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini expellens eos.

Vidisti Domine ne fileas, Domine ne discedas à me.

Expergiscere & euigila ad causam meam, Deus meus ad iudicium meum.

Iudica me secundum iustitiam tuam, Domine **D**EVS meus, & non supergaudeant mihi.

Eru-

Erubescant & pudefiant simul, qui gaudent malis meis, induantur confusione & ignominia, iactantes se contra me.

Domine Deus meus in te speravi, saluū me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

Ne quando rapiat vt leo animam meam & laniet, dum non est qui eripiat.

Exurge Domine in ira tua, & exaltare contra furores inimicorum meorum.

Exurge Domine Deus, & exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum.

Custodi me vt pupillam oculi, sub vmbra alarum tuarum protege me.

A facie impiorū, qui me afflixerunt, & inimicorum meorum qui animam meam circumdederunt.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.

Miserere mei Domine, vide afflictionē meam de inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.

Confundantur & deficient detrahentes animæ meæ, opprimantur confusione & pudore qui quærunt mala mihi.

Labor labiorum ipsorum operiat caput eorum,

eorum, qui me circumdant.

Eripe me Domine ab homine malo, à viro violento serua me.

Qui cogitauerunt mala in corde, toto die congregantur ad praelia.

Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum.

Ne tradas Domine desideria impio, cogitationem eius non permittas progredi, ne forte exaltentur.

Custodi me de manu impij, & ab hominibus violentis serua me, qui cogitauerunt supplantare gressus meos.

Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum festina.

Quoniam tu expectatio mea Domine, Domine spes mea à iuuentute mea.

In te confisus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu me extraxisti.

In Deo salutare meum, & gloria mea, petra fortitudinis, spes mea in Deo est.

Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo.

Tu autem Domine protector meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Non timebo multa milia populi, circumdantis me.

Apud D O M I N U M est salus, & super popu-

populum tuum benedictio tua.

Non Deus volens iniquitatem tu es,
neq; habitabit iuxta te malignus.

Neq; permanebunt iniusti ante oculos
tuos, odisti omnes qui operantur iniquitatē.

Perdes qui loquuntur mendacium, vi-
rum sanguinum & dolosum abominabitur
Dominus.

Discedite à me omnes qui operantur
iniquitatem, quoniā exaudiuit Dominus
vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem
meam, Dominus orationē meam suscepit.

Erubescant & conturbentur vehemen-
ter omnes inimici mei, conuertantur &
erubescant valde velociter.

**GRATIARVM ACTIO, PRO
liberatione de manu inimicorum
& hostium.**

EXALTABO te Deus meus Rex, &
benedicam nomini tuo in seculum &
in seculum seculi.

Per singulos dies benedicam tibi, & lau-
dabo nomen tuum in seculum seculi.

Exaltabo te DOMINE, quoniam sub-
uexisti me, nec delectasti inimicos meos
super me.

Con-

Conuertisti planctum meum in gaudiū
mihi, concidisti saccum meum, & circum-
dedisti me lætitia.

Fecisti iudicium meū, & causam meā,
sedisti super thronum qui iudicas iustitiā.

Benedicam Dominum in omni tem-
pore, semper laus eius in ore meo.

Magnificate Dominum mecum, & ex-
altemus nomen eius simul.

Exquisiui Dominum & exaudiuit me,
& ex omnib. pauoribus meis eripuit me.

Tu dominaris tempestati maris, motū
autem fluctuum eius tu mitigas.

Diligite Dominum omnes sancti eius,
credentes custodit Dominus.

Viriliter agite & confortetur cor vestrū,
omnes qui speratis in Domino.

Quoniam nō in perpetuum obliuio erit
pauperis, spes pauperū non peribit in finē.

Tibi derelictus est pauper, orphano tu
eris adiutor.

Plues super impios laqueos, ignē, sul-
phur, & spiritus procellarū pars caliciseorū.

Tu Deus deduces eos in puteū interitus,
viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt
dies suos.

Ego autē cantabo fortitudinem tuā, &
exaltabo mane misericordiā tuā, quia fact²
es

es susceptor meus, & refugium in die tribulationis meæ.

Fortitudo mea tibi psallá, quia Deus susceptor meus es, Deus misericordiæ meæ.

XIII.

FORMULAE PRE-
CANDI, CONTRA TYRAN-
nidem fraudes & insidias
Satanæ.

AUGUSTI. SOLILOQUIO.
Cap. 16.

DRACO ille magnus & ruffus, Serpens antiquus, vocatus Diabolus & Satanus, habens capita septem, & cornua decem, quem creasti ad illudendum huic mari magno & spaciofo, in quo reptat animalia pusilla & magna, id est, diuersa Dæmoniorum genera, qui nihil aliud die noctuq; operantur, nisi quia circumeunt, quærentes quæ deuorent, nisi tu eripias. Ipse enim est antiquus ille Draco, qui ortus est in Paradyso voluptatis, qui cauda sua trahit tertiam partem stellarum cœli, & eas mittit in terram. Quis defendet à morsibus eius? quis eruet

eruet de ore eius? nisi tu Domine qui cō-
 fregisti capita Draconis magni. Adiuua
 nos, præte de Domine super nos alas tuas,
 vt fugiamus sub eis à facie Draconis huius
 qui nos persequitur, & scuto tuo libera nos
 à cornib. eius. Hoc enim est vnicum studi-
 um eius, hoc vnicum desiderium suum, vt
 animas quas creasti deuoret. Et ideo Deus
 meus ad te clamamus, libera nos ab aduer-
 sario nostro quotidiano, qui siue dormia-
 mus, siue vigilemus, siue comedamus, si-
 ue bibamus, siue quodcunq; opus opere-
 mur, omnibus modis instat die ac nocte,
 fraudibus & artibus, nunc palàm, nunc oc-
 cultè sagittas venenatas cōtra nos dirigēs,
 vt interficiat animas nostras. Et tamē Do-
 mine pessima insania nostra, quòd cū quo-
 tidie videamus cōtra nos Draconem ore
 aperto paratum ad deuorandū, nihilomi-
 nus dormimus & lasciuimus in pigricijs
 nostris, tanquam securi ante eum, qui nihil
 aliud desiderat, quā vt nos perdat. Inimi-
 cus vt occidat semper vigilat sine somno,
 & nos vt custodiamus nos, nolumus eui-
 gilare à somno. Ecce tetendit ante pedes
 nostros laqueos infinitos, & omnes vias
 nostras vārijs repleuit decipulis ad capien-
 das animas nostras. Et quis effugiet? La-
 R queos

queos posuit in diuitijs, laqueos posuit in paupertate, laqueos tetēdit in cibo, in potu, in voluptate, in somno, in vigilia, laqueos posuit in verbo, & opere, & in omni vita nostra. Sed tu Domine libera nos de laqueo venantiū, & à verbo aspero, vt cōfiteamur tibi dicentes, Benedictus Domin⁹, qui nō dedit nos in captionē dentib. eorū, Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Contritori autē capitis Serpentis, liberatori & p̄tectori nostro, sit laus & gloria in sempiterna, secula, Amen.

I B I D E M Cap. 17.

DOMINE IESV CHRISTE lux mea, illumina oculos meos, vt videam lumen, & ambulē in lumine tuo, & non impingam in laqueos Satanæ. Quis enim euadet laqueos istos multos, nisi videat eos? Et quis videbit eos, nisi quē illuminaueris lumine tuo? Ipse enim pater tenebrarū laqueos suos abscondit in tenebris suis, quī sunt filij tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo qui ambulat nō timebit, Qui enim ambulat in die, nō offendit, Qui autē in nocte ambulat, offendit, quia lux nō est in eo. Tu lux Domine, tu lux filiorum

orū lucis, Tu dies qui nescis occasū, in quo
 ambulant filij tui sine offensione. Qui vero
 à te vero lumine elongatur, magis pecca-
 torum voluitur tenebris, & quo magis est
 in tenebris, eo minus videt laqueos in via
 sua, & ideo minus cognoscit, & ideo sapi-
 us capitur & cadit in eis, & quod est horri-
 bilius, etiam se cecidisse ignorat. Qui vero
 suum casum ignorat, eo minus curat sur-
 gere, quando se existimat adhuc stare. Tu
 vero lux mentis Domine Deus meus, illu-
 mina oculos meos, vt videā & cognoscā,
 ne corruam in conspectu aduersariorum
 meorum. Etenim in exilium nostrum la-
 borat inimicus noster, quem petimus, vt
 facias liquefieri à facie nostra, sicut cera
 liquefcit à facie ignis. Quoniam D O M I-
 N E, ipse est latro primus & vltimus, qui
 cōsiliū fecit, vt raperet gloriam tuā, Quo-
 niā inflatus & elatus crepuit & cecidit. Sed
 nunc vita mea & Deus meus, ex quo ce-
 cidit, non cessat persequi filios tuos, Et in
 odium tuum, ô Rex magne, cupit perde-
 re hanc creaturā tuam, quam creauit om-
 nipotens bonitas tua, ad imaginem tuam,
 vt possideat gloriam tuam, quam ipse per-
 didit per superbiam suam, Sed contere eū
 fortis noster, antequam nos agnos tuos

R 2 deuo-

deuoret, & illumina nos, vt videamus laqueos quos ipse parauit, & euadamus ad te o læticia Israël. Et hæc omnia tu melius nosti, qui nosti cōtentionē eius, & ceruicē eius durissimam, Nec hoc dico vt ostendā tibi, quia omnia vides, & nulla te latet cogitatio, sed ante pedes tuæ Maiestatis de inimico meo, querimoniam facio, Iudex æterne, vt & ipsum damnes, & nos filios tuos salues, quorū fortitudo tu es. Versutus est enim iste hostis & tortuosus, nec facile depræhēdi possunt circuitus vitæ eius, nec cognosci species vultus eius, nisi tu illumines. Nā nunc hic, nunc illic, nūc agnū, nunc lupum, nunc tenebrās, nunc lucem se ostendit, & singulis quibuslibet qualitatibus, locis, & temporibus, secundum varias rerum mutationes, varias exhibet tentationes. Nam vt tristes decipiat, tristatur & ipse, vt gaudētes illudat, fingit & se gaudere, vt spirituales defraudet, in Angelum lucis se transfigurat, vt fortes comprimat, apparet agnus, vt mites deuoret apparet lupus, Hæc & multa alia nititur cōtra nos ipse filius Belial, ipse Satan, Domine Deus noster, & nunc vt Leo, nunc vt Draco, manifeste & occulte, intus & extra, die ac nocte insidiatur, vt rapiat animas nostras.

Sed

Sed tu eripe nos Domine, qui saluas sperantes in te, vt ipse de nobis doleat, & tu lauderis in nobis Domine Deus noster, benedictus in secula, A M E N.

I B I D E M Cap. 18.

E G O autem filius ancillæ tuæ, qui me commendaui manui tuæ iam his meis pauperculis confessionibus, cōfitebor tibi Liberator meus, toto corde meo, & recollam ad mentem meam, omnia bona quæ fecisti mihi à iuuentute mea, in omni vita mea, Gratias tibi agam, ne sim ingratus tibi Liberator meus, quoniam liberaſti me. Quoties me iam absorbuerat ille Draco, & tu Domine ab ore eius extraxisti me? Quoties ego peccaui, & ipse paratus fuit deglutire me, sed tu Domine Deus meus defendisti me? Cum contra te inique agebam, cum tua mandata frangebā, stabat ipse paratus, vt me raperet ad infernum, sed tu prohibebas. Ego te offendebam, & tu me defendebas. Ego te non timebam, & tu me custodiebas, A te recedebam, & inimico meo me exhibebā, tu ipse ne me acciperet deterrebas. Hæc mihi tu Domine Deus meus beneficia conferebas, & ego miser nō cognoscebam, Sic enim me mul-

R 3 totiens

rotiens à faucibus Diaboli liberasti, de ore Leonis eripuisti, & ab inferno, licet nescientē me, multis vicib. reduxisti. Descendi enim vsq; ad portas inferni, & ne illuc intrarē, tu me tenuisti. Appropinquabā vsq; ad portas mortis, & ne me ipsæ caperent tu fecisti. Te ergo clementissime redētor, liberator & protector, laudo atq; glorifico, Cantabo nomen tuū quam diu fuero, Laus tua nunquā recedet de ore meo. Sit nomen tuū benedictū in secula, A M E N.

ECCLESIA.

DOMINE IESU CHRISTE, præsidium nostræ mortalitatis vnicū, vnica spes nostra, salus nostra, victoria nostra, gloria & triumphus noster, qui in carne, quam nostra causa sumpseras, te passus es à Satana tentari, quiq; solus peccatum, mortem, mundum, Satanam, & vniuersum regnum inferorū deuicisti, & quicquid deuicisti, utiq; nobis deuicisti, nec tu os alio cōsilio cū ijs conflictari voluisti, nisi ut coronares magnificentius, & hostem quē in te ipso debellasti, in membris quoque tuis prosterneres. Adde quæso tu Leo inuictissime de tribu Iuda, militi tuo robur, aduersus Leonē rugientem, qui semper

per oberrat, quærens quem deuoret. Tu
Serpēs ille salutifer in sublimi fixus stipite,
adde paruulo astutiam aduersus callidissi-
mi Serpētis insidias. Tu agnus ille niueus,
Satanicæ tyrannidis expugnator, da oui-
culæ tuæ vires tui Spiritus, vt in se fragilis,
in te fortis, superet omnes. Diaboli assul-
tus, ne de me glorificetur hostis meus, sed
per te victor, gratias agam tuæ misericor-
diæ, quæ tibi fidentes nusquam destituit,
qui viuis & regnas cum Deo Patre, & Spi-
ritu sancto sine fine, A M E N.

PSALM. 91.

QUI habitat in abdito altissimi, & in
vmbra omnipotentis commoratur.

Hic dicet Domino, spes mea & muni-
tio mea, Deus meus sperabo in eum.

Quoniam ipse liberabit te de laqueo ve-
nantium, & à peste exitiali.

Pennis suis teget te, & sub alis eius spe-
rabis, scutum & clipeus est veritas eius.

Ne timeas à timore nocturno, & à sa-
gitta volante in die.

A peste grassante in tenebris, & à pesti-
lencia prædante in meridie.

Etsi cadent à latere tuo mille, & decem
millia à dextris tuis, ad te tamen non ap-
propinquabit.

R 4 Vti-



Vtiq; oculis tuis cernes, & retributi-
onem impiorum videbis.

Quoniam tu es Domine spes mea, altis-
simum posuisti habitaculum refugij tui.

Non affliget te malum, & flagellum nō
appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te,
vt custodiant te in omnibus vijs tuis.

In manib. portabunt te, ne forte offen-
das ad lapidem pedem tuum.

Super leonem & aspidem ambulabis, &
conculcabis catulum leonis & draconem.

Quoniam desiderat me, liberabo eum,
protegam eum, quoniam cognouit no-
men meum.

Clamavit ad me, & ego exaudiam eum,
cum ipso sum in tribulatione, eripiam eū,
& glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, &
ostendam illi salutare meum.

XIIII.

F O R M V L A E G R A -
T I A S A G E N D I D E O P R O
beneficijs, tam corporalibus
quam spiritualibus.

A V G V -

A V G V S T I . M E D I T A .

Cap. 14. & 16.

GR A T I A S agimus tibi clemētissime
& benignissime amator hominū De-
us, qui per I E S V M C H R I S T V M Fi-
lium tuum, cum nō essemus, potenter fe-
cisti nos, & cum perditī fuisset culpa
nostra, mirabiliter liberaſti nos. Gratias a-
gimus pietati tuæ, & multas tibi gratias
referimus ex totis præcordijs nostris, qui
propter tuam inenarrabilem dilectionem,
qua nos miseros & indignos, mirabili bo-
nitate tua amare dignatus es, misisti eundē
vni genitum tuum de sinu tuo, ad nos, sal-
uare peccatores, tūc filios perditiois. Gra-
tias tibi agimus, pro sancta incarnatione &
natiuitate eius. Gratias tibi agimus pro pas-
sione & cruce eius, pro morte & resurre-
ctione eius, pro ascensione in coelū, & sede
Maiestatis eius ad dexterā tuam. Gratias
tibi agimus pro sacratissima illa effusione
pretiosi sanguinis eius, quo sumus redēti,
simul & pro sacrosancto & viuifico myste-
rio corporis & sanguinis eius, quo quotidie
in Ecclesia tua pascimur & potamur, ablu-
mur & sanctificamur, & vnius summæ
diuinitatis participes efficimur. Gratias

R 5 tibi

tibi agimus pro hac tua mira & inenarrabili charitate, qua nos indignos sic amasti & saluasti, per vnicum dilectum Filium tuum. Sic enim dilexisti mundum, vt vnigenitum tuum dares, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. O quantum sumus tibi debitores Domine Deus noster, tanto redempti pretio, tanto saluati dono, & tam glorioso adiuti beneficio. Quantum à nobis miseris es timendus, amandus, benedicendus, & glorificandus, qui nos sic amasti, sic saluasti, sic sanctificasti, sic sublimasti. Tibi nempe debemus omne quod possumus, omne quod viuimus, omne quod sapimus, Sed quis habet quicquam non tuum? Tu Domine Deus noster, à quo bona cuncta procedunt, Propter te, & nomen sanctum tuum, da nobis de bonis tuis, vt de bonis ac datis tuis, seruiamus tibi, & in veritate placeamus, atque debitas quotidie laudes rependamus tibi pro tantis beneficijs misericordiae tuæ. Tibi sit honor, laus & gloria in sempiterna secula, Amen.

AUGVSTI. MEDITAT.

Cap. II.

MULTA & innumerabilia bona fecisti mi-

fti mihi Domine Deus meus, fac me grati-
 as agere, vt te laudē & amem pro omnib.
 beneficijs tuis. Qui bene vtens malo paren-
 tum meorū, creasti me de carne illorum,
 & inspirasti in me spiraculum vitæ, discer-
 nens me ab illis, qui vel abortiui proiecti
 sunt ab vtero, vel intra materna viscera suf-
 focati, pœnæ videntur concepti non vitæ.
 Accepi ergo vt sim, accepi vt homo sim,
 accepi intellectum, quo intersit inter me
 & pecus, accepi corporis formam, accepi
 in corpore distinctionem sensuum, oculos
 ad videndum, aures ad audiendum, nares
 ad odorandum, manus ad cōtrectandum,
 palatum ad gustandū, pedes ad ambulan-
 dum, salutemq; ipsam corporis. Magnum
 est certe & hoc, quod sana & integra mē-
 bra creauit mihi D E V S. Magnum etiam
 existimo beneficium, quod eo tempore, &
 inter tales me nasci voluit Deus, per quos
 ad fidē suam & Sacramenta peruenirē, Vi-
 deo innumerabilibus hominib. hoc nega-
 tum, quod mihi gratulor esse concessum,
 cum quib. tamen nobis esset vna cōditio.
 Illi derelicti sunt per iustitiā, & ego voca-
 tus per gratiam. Procedā adhuc etiam, in-
 tuens munus eius fuisse, quod educatus fui
 à parentib. quod me flāma non læsit, quod
 aqua

aqua non absorbuit, quod non vexatus à
 Dæmone, qd̄ à bestijs nō percussus, quod
 nō præcipitio necatus, quod vsq; ad con-
 gruā ætatem, in fide eius, & bona volunta-
 te sum nutritus. Bona igitur sunt hæc tua
 Domine, mihi à te misericorditer indulta,
 Quib. & hæc, vt non minora beneficia ad-
 do, quod me in periculis sæpe cōstitutū cle-
 menter eripuisti, nec vnquā in peccatis me-
 is me dereliquisti, Oblitū tui, de te admo-
 nuisti, Auerſum à te reuocaſti, Venientem
 ad te benigne ſuſcepisti, Pœnitenti indul-
 ſiſti. Nō ea ſola quæ commiſi peccata, ſed
 etiā quæ te protegente non cōmiſi, totum
 à te diſmiſſum deputandum eſt. Nā ſicut in
 multa peccata cecidi, ſic in multo plura niſi
 me cōſeruaſſes cecidiſſem. Tibi ergo laus
 Deus meus, tibi gloria, tibi gratiarū actio,
 mihi autem confuſio faciei meæ, qui tot
 mala feci, & tot bona recepi. Confiteamur
 ergo illi mala noſtra, confiteamur & bona
 noſtra, Cōfiteamur ergo à nobis mala no-
 ſtra, vt pie ignoſcat, Confiteamur ab ipſo
 bona noſtra eſſe, vt ſeruet & augeat, Tri-
 buamus illi ſoli gloriā & honorem ex hoc
 nunc & vsq; in ſecula ſeculorum, AMEN.

ECCLESIA.

GRA-

GRATIAS tibi ago, & laudes tibi refero DOMINE Deus meus, qui me ex nihilo ad imaginem & similitudinem tuam creare, & tuo pretioso sanguine redimere, atq; per sacri Baptismatis ablutionem inter adoptionis filios aggregare, preciosiq; corporis & sanguinis tui mysterium reficere dignatus es. Tibi ergo ago laudes & gratias, qui me à tempore rudis infantiae meae, vsq; ad hanc horam, permulta defluentia vitia, immensae tuae pietatis patientia ad emendationem expectasti, Te glorifico, te laudo, qui me saepissime de multis tribulationibus & angustijs, calamitatibus & miserijs liberasti. Qui me haecenus de aeternis supplicijs & de corporis & animae cruciatibus exemisti, Te laudo, te glorifico, qui mihi sospitatem membrorum, tranquillitatem temporum, etiam bonorum effectum, cum multis alijs virtutibus, misericorditer tribuisti. Quaeso Domine Deus meus ineffabilem tuam suauitatem, vt inchoata beneficia & dona in me perficias, & quicquid in me tibi displicet, repellas, à cunctis etiã quae supersunt tribulationibus & iniquitatibus ac diuersis malis, quibus inuolutus sum, me eripias, Cogitationes, locutiones, pariter & actus meos in tua voluntate disponas;

ponas, inter aduersa & prospera me gradientem, semper & ubiq; custodias, & me tandem ad tuæ visionis desiderata gaudia feliciter perducas. Qui cum Deo patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, AMEN.

PSALM. 146.

LAUDA anima mea Dominum, Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quam diu fuero.

Nolite confidere in principibus, neq; in filijs hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus eius & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eius.

Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius.

Qui fecit coelū & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, Qui custodit veritatem in seculum.

Facit iudicium iniuriâ patientibus, dat escam esurientibus, Dominus soluit compeditos.

Dominus illuminat cœcos, Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos.

Dominus custodit aduenas, pupillâ & viduâ suscipiet, & vias impiorū disperdet.

Reg-

Regnabit Dominus in seculū, Deus tuus
Sion, in generationem & generationem.

PSALM. 147.

LAUDATE Dominum, quoniā bo-
num est psallere Deo nostro, quoniam
iucunda decoraq; laudatio.

Ædificans Hierusalē Dominus, disper-
siones Israël congregabit.

Qui sanat contritos corde, & alligat
contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem stellarum,
& omnes suis nominibus vocat.

Magnus Dominus noster, & magna vir-
tus eius, & sapientiæ eius nō est numerus.

Subleuans afflictos Dominus, humili-
ans autem impios vsq; ad terram.

Cantate Domino cum gratiarum actio-
ne, psallite Deo nostro in Cythara.

Qui operit cœlū nubibus, & parat terræ
pluuiam, qui producit in montib. fœnum.

Qui dat iumentis escam ipsorū, & pul-
lis coruorum inuocantibus eum.

Nō in fortitudine equi voluntatē habe-
bit, neq; in tibijs viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum est Domino super timē-
tes eum, & in eis, qui sperant super miseri-
cordia eius.

PSALM.

PSALM. 148.

LAUDATE Dominū de cœlis, laudate eum in excelsis.

Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes exercitus eius.

Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ lucentes.

Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt.

Laudent nomē Domini, quia ipse mandavit & creata sunt.

Statuit ea in seculum & in seculum seculi, præceptum posuit & non præteribit.

Laudate Dominum de terra, cœete & omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.

Montes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri.

Bestiæ & vniversa pecora, serpentes & volucres pennatæ.

Reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ.

Iuvenes & virgines, senes cum iunioribus.

Laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius, confessio eius super cœlum & terram.

Et

Et exaltabit cornu populi sui, hymnus omnibus sanctis eius, filijs Israël, populo appropinquanti sibi.

PSALM. 149.

CANTATE Domino canticum novum, laus eius in Ecclesia sanctorum.

Lætetur Israël in eo qui fecit eum, & filiae Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen eius in choro, in tympano & psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit afflictos cum salute.

Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in gentibus, increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

Vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius.

PSALM. 150.

LAUDATE Deum in sanctuario eius, laudate eum in firmamento virtutis eius.

Laudate eum in potentia eius, laudate

S eum

230 GRATIARVM ACT.

eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cythara.

Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis bene sonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis.

Omnis spiritus laudet Dominum, Amen.

XV.

FORMULAE PRE-
CANDI, IN GRAVI ET PE-
riculoso morbo, denique etiam in
agone mortis.

AUGUSTI. MEDITAT.

Cap. 10.

DOMINE IESU CHRISTE,
vnica spes mea, concede mihi sic cu-
stodire & regere & finire vitam meam, vt
in pace dormiam, & in te requiescam, Præ-
sta mihi in finem, vt me excipiat somnus
cum requie, requies cum securitate, securi-
tas in æternitate. Illuminare lux cæco, qui in
tenebris & in vmbra mortis sedet, & dirige
pedes meos in viam pacis, per quam ingre-
diar

diar in locū tabernaculi admirabilis, vsq, ad domum Dei in voce exultationis & cōfessionis. Parce mihi Domine, nihil enim sunt dies mei, Ægrotus sum, ad medicū clamo, cœcus sum, ad lucē propero, mortuus sum, ad vitam suspiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita, Iesu Nazarene, miserere mei Fili Dauid, miserere mei fons misericordiæ. Audi qui ad te clamat infirmū, Lux quæ transis, expecta cœcum, præbe ei manum, vt ad te veniat, & in lumine tuo videat lumē, Amē.

A V G V S T. S O L I L O Q V I O .

Cap. II.

PARCE mihi **D**OMINE, ego cadauer putridum, esca vermium, vas fœtidum. Quid sum ego qui loquor tecum? Parce mihi **D**OMINE, vita mea sicut umbra quæ præterit, vita mea sicut flos, qui in arbore crescit, & statim marcescit, nūc floret, & statim aret. Vita mea vita fragilis, vita caduca, vita quæ quāto magis crescit, tāto magis decrescit, Quāto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit. Vita fallax & umbratica, plena laqueis mortis. Et super hæc omnia magna hæc est miseria, quod cū sit nihil certius morte, ignorat tamē homo finē suū, & cū stare se putat

S 2 col-

colliditur, & perit spes eius. Nescit enim homo, quando vel vbi, vel quomodo moriatur, & tamen certum est, quod eum mori oporteat. Ecce Domine quã magna miseria hominis, Dicam ergo, dicam miseriam meam, confitear nec erubescam ante te vilitatem meam, Adiua me fortitudo mea per quã solã subleuor, Succurre virtus per quã sustentor, Veni lux per quam video, Appare gloria per quam gaudeo, Appare vita in qua viuam, ò Domine Deus meus. Veni Domine, & noli tardare, veni visitare me in pace, veni & educ vincitũ de carcere, vt læter coram te corde perfecto. Veni Saluator meus, ostende mihi faciem tuam, & saluus ero. Veni lux mea, redemptor meus, educ de carcere animam meam, ad cõfitendum nomini tuo sancto. Quamdiu miseria tabor in fluctib. mortalitatis meæ? clamo ad te Domine & non exaudis, audi clamantem Domine, de hoc mari magno, & adduc me ad portum felicitatis æternæ. O regnum beatitudinis sempiternæ, vbi tu Domine spes sanctorum, & diadema gloriæ, facie ad faciem videris à sanctis, lætificas eos vndiq; in pace tua, quæ exuperat omnem sensum, Ad quam vt me quoq; venire facias, te Domine Iesu Christe rogo,
per

per omnes miserationes, A M E N.

A V G V S T. S O L I L O Q V I O.

Cap. 35.

CH R I S T E D E V S de Deo, spes hu-
mani generis, refugium nostrum & vir-
tus, cuius lumē à lōgo inter caliginosas ne-
bulas super maris procellas, quasi stellæ ma-
ris radius oculos nostros irradiat, vt diriga-
mur ad te portum. Guberna Domine na-
uem nostrā tua dextera, clauo crucis tuæ,
ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat
tempestat aquæ, ne absorbeat nos profun-
dum. Sed virtute crucis tuæ trahe nos ab
hoc pelago, ad te solamen vnicum nostrū,
quem à longe quasi stellam matutinam,
& solem iustitiæ, vix lacrymantibus oculis
in littore cœlestis patriæ nos expectantem
videmus. En ad te clamamus redempti tui,
sed & nūc exules tui, quos pretioso sangui-
ne redemisti, Exaudi nos Deus salutaris
noster, spes omniū finium terræ, & in marī
longo, in mari turbulento versamur, tu in
littore stans aspicias pericula nostra, saluos
nos fac propter nomen tuum. Da nobis
Domine inter Scyllam & Charybdim ita
tenere mediū, vt vtroq; periculo euitato,
salua naue & mercibus securi perueniamus

S 3 ad

ad portum, Per meritum acerbissimæ tuæ
mortis & passionis, A M E N.

A V G V S T I. M E D I T A.

Cap. 37.

DVLCISSIME ac benignissime I E-
S V C H R I S T E, quando te videbo?
quando apparebo ante faciē tuam? quan-
do satiabor D E V S pulchritudine tua? quā-
do educes me de carcere tenebroso? vt
confitear nomini tuo, ita vt deinceps non
compungar? quando transibo in illam ad-
mirandam & pulcherrimam domum tu-
am, vbi personat vox lætitiæ & exultatiōis
in tabernaculis iustorū. Beati qui habitant
in domo tua, D O M I N E in secula se-
culorum laudabunt te. Beati & vere be-
ati, quos elegisti & assumpsisti, in illam cœ-
lestem hæreditatem. O quam mira, quam
pulchra, quā acceptabilia sunt domus tuæ
habitacula D O M I N E virtutum, con-
cupiscit intrare in ea, hæc peccatrix anima
mea. Dilexi D O M I N E decorem domus
tuæ, & locū habitationis gloriæ tuæ. Vnū
petij à D O M I N O, & hoc requiram,
vt inhabitem in domo Domini omnibus
diebus vitæ meæ. Quemadmodum deside-
rat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat
ani-

anima mea ad te DEVS, quando veniam
 & apparebo ante faciem tuam? Quando
 videbo Deū meum, quē sitit anima mea?
 Quando videbo eum in terra viuentium?
 Non habemus hic manentem ciuitatem,
 sed futurā inquirimus. Nihil mihi tam dul-
 ce, quam cum DEO meo esse, istuc festi-
 no, vbi summa pax regnat. Tene ergo &
 rege spiritum meū, & assume illum secun-
 dum voluntatem tuam, vt te duce ascen-
 dat in illam regionem vbertatis, vbi pascis
 Israēl in æternum, pabulo veritatis, Vt ibi
 ego quoq; laudem te cum omnib. Sanctis
 tuis in æternum, AMEN.

HIERO. IN AGONE.

QVANTVM lucrū mihi est mori,
 quoniam viuere deinceps meum Chri-
 stus erit. Ecce terrestris domus huius ha-
 bitationis dissoluitur, vt alia succedat non
 manufacta habitatio æterna in cœlis. Ec-
 ce quod mortale est, vestimento exuor,
 vt æterno induar, hucusque peregrinatus
 sum, iam redeo ad patriam. Ecce portū at-
 tingo, quē tanto desideravi desiderio. Ecce
 de tenebris ad lucē, de periculis ad securita-
 tē, de inopia ad diuitias, de prælio ad victo-
 riam, de tristitia ad gaudium, de temporalī

S 4 vita

vita ad perpetuam, de foetore ad odorem
 suauissimum vehor. Hic cæcus sum & illu-
 minor, vndique vulneratus & sanor. Hic
 semper contristatus sum, & ecce lætificor.
 Vere hic viuens mortuus sum, & iam vere
 viuificor. Vita mundi nō vita, sed mors, vi-
 ta fallax, vita onusta tristitijs, imbecillis &
 vmbatica, vita mendax. O mors dulcis &
 iucunda, non certe mors, quæ vitam ve-
 ram largiris, quæ fugas febres & vulnera,
 famē extinguis & sitim. O mors iustissima
 & pia bonis, & malis aspera, humilias super-
 bum, diuitem & potentem, & exaltas hu-
 milē. Tu malis das supplicium, & iustis æ-
 ternum præmium. Veni soror mea, sponsa
 mea, amica mea, dilecta mea, indica mihi
 quem diligit anima mea, Ostēde mihi vbi
 pascat dominus meus, vbi cubet Christus
 meus, nec dimittas me amplius vagari,
 per inuiū huius incolatus mei. Exurge glo-
 ria mea, porrige mihi manū, trahe me post
 te. Apertum est cor meum, & exurgam, &
 post te curram in odore vnguentorū tuo-
 rum, donec introduxeris me in cellaria do-
 mus Domini mei, vt exultē & gaudeam,
 cum apparebo ante faciem tuam. Accipe
 Domine Iesu Christe Filium hic famelicū
 in regione aliena, & redde eum patri suo,
 Sus-

Suscipe vlceribus plenum, & colloca eum in sinum Abrahæ. Fac me intrare in vineam tuam, vt nõ stem hic ociosus. Suscipe me de manu iniquitatis, & deduc me in vitam æternam, AMEN.

HIERO. IBIDEM.

PIE IESV, virtus mea, refugium meum, susceptor meus & liberator meus, laus mea, in quem speravi, cui credidi, & quem dilexi, summa dulcedo, turris fortitudinis & spes mea à iuuetute mea. Voca me dux vitæ meæ, & ego respõdebo tibi. Operi manuum tuarum, quod tu de limo terræ creator omniũ formasti, quod ossib. & neruis compegisti, cui vitam & misericordiam moriens tribuisti, tuæ clementiæ porrige dexteram, Iube Domine, ne moreris, quia tempus est, vt puluis in puluerem reuertatur, & spiritus redeat ad te saluatorem, qui huc misisti illum. Aperi illi ianuas vitæ: Nã cum pro me in ligno crucis tanquam latro pependisti, tu promisisti mihi quod eum reciperes. Veni dilecte mi, teneam te, nec dimittam, introduce me in domum tuam, Tu susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum, salus mea & benedictio mea, Suscipe me misericors De

S 5 us

us secundum multitudinem miserationum
 tuarum. Nam latronem in cruce moriens
 suscepisti, possideam te beatitudo sempiter
 na, Coecum iuxta viam clamantē: Iesu Fi
 li David miserere mei, lumine tuo visionis
 æternæ illumina. O lux inuisibilis, ô lux si
 ne qua nō est veritas, illumina oculos me
 os, ne vnquam obdormiam in morte, ne
 quando dicat inimicus meus, præualui ad
 uersus eū. Tædet animam meā vitæ meæ,
 loquar in amaritudine animæ meæ, ægro
 tus sum, infirmata est in paupertate vita
 mea, ossa mea sicut in fritorio confrixa
 sunt, & ideo ad te Dominum medicū cur
 ro, Sana me Domine & sanabor, Saluum
 me fac, & saluus ero, & quoniam in te cō
 fido non erubescam. Expecto te Domine,
 credo videre bona Domini in terra viuen
 tium, Veni ergo dilectē mi, conuerte plan
 ctum meū in gaudium mihi, inclina ad me
 aurem tuam, acceleravit de hac lacrymarū
 & miseriarum valle eripias me, A M E N.

H I E R O N . I B I D E M .

DO M I N E I E S V C H R I S T E pro
 pitius esto mihi peccatori, vt sis mihi
 in adiutoriū & in locum refugij, vt saluum
 me facias: Mortuus en pie Iesu iaceo, Exur
 ge

ge, resuscita me, & confitebor tibi, æger & infirmus sum, cui nulla amplius est in carne sanitas, medicus es, sana me, educ me de laqueo isto protector meus, gubernator meus, firmamentum meum, refugium meum, dux meus, & rex meus, in cuius cōmendo manus spiritum meum, quem in crucis stipite redemisti, cui vitā & misericordiā tribuisti. Respice Domine humilitatem meā, ne cōcludas me in manus inimici. Hodie tecū ingrediar in locū tabernaculi admirabilis, vt inhabitē in domo tua in lōgitudine dierū, in seculū seculi, Amen.

DIONYSIVS.

DVLCISSIME Domine IESV
CHRISTE, splendor paternæ gloriæ, & sol iustitiæ, qui pro me indigno seruulo tuo dignatus es hanc vilissimam pati doloris formulā, qui in mōte Caluarie pro mundi redemptione animā tradidisti, & patri orans eam cōmendasti, Præsta mihi huius amarissimæ mortis tuæ dolorē pariter & amorem iugiter in pectore meo circumferre, atq; ad cōmoriendum tibi, per mortificationē omnium vitiorum quotidie me ipsum exercere, vt appropinquāte vitæ termino in luce miserationum tuarū merear
respi-

respirare, & tecum in Paradyfi gaudia feliciter introire. Adesto mihi morienti, succurre agonizanti, occurre desideranti, defende me ab hostibus, eripe me de ærumnis, consolare gementem, conforta tremmentem, refoue deficientem, suscipe expirantem, Vltimum verbum tuum in cruce, sit vltimum verbum meum in hac luce, & cum amplius fari non possun, exaudi finale desiderium meum : Pater in manus tuas cōmendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis, A M E N.

E C C L E S I A .

DOMINE IESV CHRISTE Fili Dei viui, qui pro salute mundi in cruce felle & aceto potatus es, sicut tu cōsummatis omnib. in cruce expirans, in manus Patris commendasti spiritum tuum, sic in hora mortis meæ, in manus pietatis commendo animam meā, vt eam in pace suscipias, & in electorum tuorū choris aggregari præcipias. Qui viuis & regnas cū Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, A M E N.

E C C L E S I A .

DOMINE IESV, vnica salus viuentium, æterna vita morientium, tuæ sanctissimæ

ctissimæ voluntati me totum submitto tra-
doq; siue hanc animulam in huius corpus-
culi domicilio diutius cōmorari placeat ad
tibi seruiendum, siue ex seculo demigrare
velis, certus nō posse perire, quod tuæ mi-
sericordiæ commissum est, carnē hanc fra-
gilem & miseram æquo deponam animo,
videlicet spe resurrectionis, quæ mihi illam
reddet multo feliciorē, animam quæso vt
aduersus omnia tentamenta gratia tua cor-
robores, contraq; omnes Satanæ assultus
erige me scuto tuæ misericordiæ, qua olim
Martyres tuos aduersus horrendos crucia-
tus, ac mortes crudelissimas, inuictos red-
didisti. Video quā nihil in me mihi sit præ-
sidij, in tua inenarrabili bonitate tota est fi-
ducia, nihil habeo meritorum, aut bono-
rum operum, quod allegem apud te, malo-
rum heu nimis multum video, sed per tuā
iustitiam confido me in numero iustorum
censendum. Tu mihi natus es, mihi sitisti,
mihi esuristi, mihi docuisti, mihi orasti, mi-
hi ieiunasti, mihi tantum bonorum operū
in hac vita peregisti, mihi tam acerba pas-
sus es, mihi in cruce pretiosam animam tu-
am in mortē tradidisti, profint mihi nunc
quæ sponte donasti, qui te totum mihi do-
nasti, tuus sanguis abluat maculas criminū
meo-

meorum, tua iustitia tegat iniustitiam meam, tua merita me supremo iudici cōmendent, Ingrauescente malo adauge gratiam tuam, ne vacillet in me fides, ne titubet spes, ne refrigescat charitas, ne terrore mortis deijciatur humana infirmitas, sed postquam mors occuparit oculos corporis, mētis tamen à te non deflectantur, cumque linguæ vsum ademerit, cor tamen instanter ad te clamet: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, Cui honor & gloria sine fine, A M E N.

P R E C A T I O I N G R A -
ui morbo vel agone, ex
Psalms collecta.

D. O M I N E ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripas me.

Miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea.

Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine vsque quo?

Reuertere Domine & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniã non est in morte qui memor sit
tui,

tui , in inferno autē quis confitebitur tibi ?

Laboravi in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrimis meis stratum meum rigabo.

Tabescit præ tristitia facies mea, & inueterauit, dum omnes tribulant me.

Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.

Ad te Domine clamo, & Deum deprecor.

Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendendo in corruptionem ? nunquid gratias aget tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam ?

Audi Domine & miserere mei, Domine sis adiutor meus.

Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, quis sit, ut sciam quod ego esse desinam.

Ecce sicut mensuram palmi posuisti dies meos, & tempora mea sicut nihilum coram te.

Quia

Quia nihil nisi vanitas, omnis homo securus.

Eheu quam sicut vmbra pertransit homo, & quam vane solliciti sunt, colligit & ignorat quis sit ea congregaturus.

Et nunc quæ est expectatio mea Domine? in te sperabo.

Ab omnib. iniquitatibus meis erue me.

Amoue à me plagas tuas, à castigatione enim manus tuæ ego defeci.

Dum castigas hominem propter iniquitatem, facis tabescere sicut tineam pulchritudinem eius, Eheu quam vanitas omnis homo.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe, & ad lachrymas meas ne fileas, quoniam advena sum apud te, & incola sicut omnes patres mei.

Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus, compræhenderunt me iniquitates meæ, vt non potuerim videre, multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

Complacet tibi Domine, vt eruas me, Domine ad adiuuandum me festina.

Con-

Confundantur & putefiant simul, qui
quærent animam meam vt auferant eam,
auertantur retrorsum, & ignominia affici-
antur, qui volunt mihi mala.

Deus redimet animam meam de manu
infernæ, quoniam suscipiet me.

In manus tuas Domine commendo spi-
ritum meum, redemisti me Domine Deus
Veritatis.

Non moriar sed viuam, & narrabo ope-
ra Domini, placebo Domino in regione
uiuorum.

O R A T I O.

DOMINE IESV CHRISTE
Paradysum tuum postulo, non ob va-
lorem meorum meritorum, cum sim pul-
uis & cinis & peccator miserrimus, sed in
virtute & efficacia tuæ sanctissimæ passio-
nis, per quâ me miserum redimere volui-
sti, & mihi Paradysum pretio tui sanguinis
emere dignatus es.

V E R S V S.

Diripuisti Domine vincula mea.
Tibi sacrificabo hostiam laudis, & no-
men Domini inuocabo.

A L I A.

T D O M I-

DOMINE IESV CHRISTE,
propter illam amaritudinem, quam sustinui-
sti pro me, maxime in illa hora quā-
do sanctissima anima tua egressa est de
corpore tuo, miserere miserrimæ animæ
meæ in egressu suo.

GRATIARVM ACTIO PRO
liberatione ex morbo.

PSALM. 116.

DI L E X I quod audiuit Dominus vo-
cem orationis meæ, quia inclinavit au-
rem suam mihi, & in dieb. meis inuocabo.

Circumdederunt me funes mortis, &
anxietates inferni inuenerunt me, tribula-
tionem & dolorem inueni.

Et nomen Domini inuocaui, ô Domi-
ne libera animam meam.

Misericors Dominus & iustus, & Deus
noster miseretur.

Custodiens paruulos Dominus, humi-
liatus sum & liberauit me.

Reuerte anima mea in requiem tu-
am, quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte, o-
culos meos à lacrimis, pedes meos à lapsu.

O Domine quia ego seruus tuus, ego ser-
uus

uus tuus & filius ancillæ tuæ. Dirapisti vincula mea.

Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi eius.

I O N A S Cap. 2.

CLAMAVI de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me.

De ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam.

Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me.

Omnes gurgites tui, & omnes fluctus tui super me transierunt.

Et ego dixi, abiectus sum à conspectu oculorum tuorum.

Veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.

Circumdederunt me aquæ vsq; ad animam meam, & abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.

Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluderunt me in æternum.

Et subleuabis de corruptione vitā meam, Domine Deus meus.

Cū angustiaretur in me anima mea, Do-

T 2 mini

mini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

Qui custodiunt vanitates, frustra misericordiam suam derelinquunt.

Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quaecunque voui reddam pro salute mea Domino.

F O R M U L A E P R E-

C A N D I, P R O V I T A

æterna.

A V G V S T I. M E D I T A.

Cap. 21.

TÆDE T me valde vitæ huius, & istius ærunnosæ peregrinationis. Vita, hæc misera vita: vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, plena miserijs & erroribus, quæ non est vita dicenda sed mors, in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, diuersis generib. mortuum. Felices illi, & ipsi rari, qui familiaritatē eius recusant, perfunctoria gaudia spernunt, societatem abijciunt, ne cum peccatrice, & ipsi perire cogantur. O tu vita quæ
præ-

præparauit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secunda, vita tranquilla, vita pulchra, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ. Utinã cõcessa mihi peccatorum venia, moxq; hac carnis sarcina deposita, in tua gaudia, veram requiem habiturus intrarem, & tuæ ciuitatis præclara atq; speciosa mœnia, coronam vitæ de manu Domini accepturus ingrederer, vt illis sanctissimis choris interesserem, vt cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assisterem, vt præsentem Christi vultum cernerem, & illud summum, & ineffabile & incircumscriptionum lumen, semper aspicerem, sicq; nullo metu mortis affici, sed de incorruptionis perpetuæ munere lætari possem sine fine. Quod vt mihi misero peccatori concedas, te oro omnipotens Deus, per Filium tuum vnicum Saluatorem nostrum, Cum quo tibi simulq; Spiritui sancto sit honor, virtus, laus, & gloria in sempiterna secula, A M E N.

AUGUSTI SOLILOQUIO.

Cap. 35.

QVEM AD MODUM desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat ad te anima mea Deus clemētissime ac misericordissime, Sitiuit anima mea ad te De-

T 3 um

um fontem viuam, quando veniam & apparebo ante faciē tuam? O fons vitæ, vena aquarum viuentium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ? de terra inuia & inaquosa, vt videam virtutē tuam, & gloriam tuam, & satiē ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam. Sitio Domine, fons vitæ satia me, sitio Domine, sitio te Deum viuum. O quando veniam & apparebo Domine ante faciem tuam? ô dies præclara & pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam vocē laudis, vocē exultationis, & cōfessionis, in qua audiam: Intra in gaudiū Domini tui, intra in gaudium sempiternum, in domū Domini Dei tui, vbi sunt magna & inscrutabilia mirabilia, quorum nō est numerus, intra in gaudium sine tristitia, quod continet æternam lætitiā, vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malū, vbi erit quicquid voles, & nō erit quicquid nolles. O gaudium super gaudiū, gaudium vincens omne gaudium, extra quod nō est gaudium. Cum ergo per uenerimus ad te sapientiæ fontē, ad te lumen indeficiens, ad te lucē inextinguibilē, vt te non iam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciē videamus, tum satiabitur in bonis desiderii nostrū, ibi videbimus,

ama-

amabimus, & laudabimus, videbimus in lumine tuo lumen tuum. Super excellēs gloria erit cum Deū videbimus in seipso, videbimus & habebimus in nobis, quem cernere finis non erit. Ad quā beatissimam visionē perduc tu nos Domine Iesu Christe, salus & spes nostra vnica, A M E N.

XVII.

FORMULAE PRE-
CANDI, MANE SVRGENT-
ium & cubitum euntium.

AVGVSTI. MEDITA.

Cap. 40.

DOMINE DEVS omnipotens, qui es trinus & vnus, qui es semper in omnibus, & eras ante omnia, & eris semper in omnibus Deus benedictus in secula. Tibi commendo hodie & omni tempore animam meam, caput meum, omnes actiones & cogitationes meas in manus potētiae tuæ, vt custodias ea dieb. & noctibus, horis atq; momentis. Exaudi me Trinitas sancta, & conserua me ab omni malo, & ab omni scandalo, & ab omni mortali peccato, & ab omnibus insidijs & infestationib.

T 4

Dæmo-

Dæmonum, & inimicorum visibiliū & inuisibiliū. Doce me hodie facere voluntatem tuam, quod odis in me hodie longe fac à me, Tolle à me quod nocet, & præbe quod iuuat, Parce hodie & semper animæ meæ, parce peccatis meis, parce criminibus meis. Da mihi hodie cor quod timeat te, mentem quæ te diligat, sensum qui te intelligat, aures quæ te audiant, oculos qui te videant. Da mihi Domine hodie discretionem discernēdi inter bonum & malum, & custodi me ab omni malo, qui es benedictus & laudandus in secula, A M E N.

E C C L E S I A.

DE V S propitiū esto mihi peccatori, & custodi me, sis omnibus diebus & noctib. Deus meus, DEVS ABRAHAM, DEVS ISAAC, DEVS IACOB, ac pater Domini nostri I E S V C H R I S T I, miserere mei, & mitte mihi in adiutoriū sanctum Angelum, qui me custodiat & protegat ab omnibus inimicis meis. Ecce crucē Domini, surgite partes aduersæ, vicit Leo de tribu Iuda Saluator mūdi, salus nos qui per crucem & sanguinē redemisti nos, auxiliare nobis te deprecamur, Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis, miserere nobis

nobis, & custodi nos hac die ab omni malo, A M E N.

E C C L E S I A.

O D V L C I S S I M E Domine I E S V
C H R I S T E, omnipotens Deus, in
manus ineffabilis tuæ misericordiæ com-
mendo animam meam, & corpus meum,
sensus & sermones meos, consilia mea, ver-
ba mea & omnes gressus meos, cogitatio-
nes meas, opera mea, & omnes actus me-
os, omnia necessaria corporis & animæ
meæ, introitum & exitum meum, conuer-
sationem, cursum, & finem vitæ meæ, obi-
tum meum, requiem & resurrectionē me-
am cum sanctis & electis tuis in perpetuū.
Aperi hodie cor meum & labia mea ad be-
nedicendum & glorificandum nomen tu-
um, quod est super omne nomen benedi-
ctum, Munda cor meum ab vniuersis ma-
lis & peruersis cogitationibus, vt te iugiter
labia mea collaudent, mēs meditetur, vita
glorificet, anima benedicat, vt qui tua sola
bonitate ad laudē & gloriam nominis tui
sum creatus, tibi semper & quādiu in hac
mortalitate vixero, deuotus permaneam,
vt in conspectu diuinæ Maiestatis tuæ, tibi
digne merear famulari. Qui cū Deo Patre

T 5 in

in vnitate Spiritus sancti viuis & regnas
Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

E C C L E S I A .

GRATIAS ago tibi sancte Domine, Pa-
ter omnipotens æterne Deus, qui me
dignatus es hac nocte custodire per tuam
magnam misericordiam. Et deprecor im-
mensam clementiam, vt mihi concedas
diem venturum cum omni humilitate, miti-
tate, castitate, charitate, patientia, benigni-
tate, timore & sollicitudine sic pertransire,
quatenus tibi seruitus mea complaceat, per
eum qui venturus est iudicare viuos &
mortuos, & seculum per ignem. Custodi &
conserua me ab omni malo, ab omni scan-
dalo, & ab omni mortali peccato, ab om-
nibus insidijs & infestationibus Dæmonū
& inimicorum visibilium & inuisibilium,
per Dominum nostrum Iesum Christum
filium tuum benedictum in secula, Amen.

E C C L E S I A .

DOMINE IESU CHRISTE, qui
verus es mundi Sol, semper oriens,
nunquam occidens, qui tuo salutifero con-
spectu ignis seruas, alis, exhilaras omnia, &
quæ in cœlis, & quæ in terris. Illucesce quæ
so propitius animo meo, vt discussa nocte
crimi-

criminū ac nebulis errorum, te intus prælucente citra offensionem per omnem vitam incedam, & tanquam in die decenter ambulem, purus ab operibus tenebrarum. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas in omne æuum, A M E N.

E C C L E S I A S V B N O C T E M.

D O M I N E I E S V C H R I S T E, cuius inexhaustæ benignitati debemus omnia, qui diei clarissimam lucem, bonis iuxta ac malis ad obeunda actionū munia tribuisti, noctis amicū silentium, ad quiete reficiendas corpusculorum vires, & ad diluēdas animorum curas, leniendosq; mœrores, clementer dedisti, cū te diligentibus, hæc omnia tu ipse multo foelicius præstes intus, quibus ad omnes pietatis & fidei functiones, gratia multo clarius præluces, quā sol mundo refulget, quos tua promissa non sinunt vnquam laceffere, tui spiritus consolatio omnes animi molestias longe efficacius diluit, quam corporis sopor, nec in alio totus homo tutius aut suauius conquiescit, quam in tua misericordia redemptor optime, precor vt si quid hoc die per humanā incuriam commisi, quod offenderit oculos tuos, pro tua solita bonitate condones, simulq; des, vt hæc nox te prosperante sit

T 6 mihi

mihi felix, te custode pura, te protectore à nocturnis Dæmonum ludibrijs tuta, vt hic somnus corpus simul & mentē in crastinū diem reddat ad tibi seruiendum alacriorē. Porro quoniam hæc vita nec vllam horā habet certam, vbi venerit illius vespera & vrgebit corporis somnus, vnde nos expergiscemur, nisi cum ad Angeli tui tubam excitabuntur mortui, quæso vt tum illumines oculos animæ meæ, ne extincta fide obdormiam in morte sempiterna, sed requiescam in te, cui viuunt etiam mortui, Qui viuis & regnas cum Deo patre & Spiritu sancto in sempiternum, A M E N.

N IN nomine Domini nostri IESV CHRISTI crucifixi surgo, qui me redemit suo sanguine pretioso, ipse me regat, benedicat, custodiat, & confirmet in omni opere bono, hodie & quotidie, & post hanc vitam miseram, perducatur me in vitam æternam, A M E N.

E C C L E S I A.

O DOMINE IESV CHRISTE fili Dei viui crucifixe propter hominem, rogo te per sancta vulnera tua, vt hodie omnia vulnera animæ meæ sanes, & custodias me hodie, & omnib. diebus vitæ meæ à mortali

tali peccato, & ab omni confusione, tentatione, & infamia, scandalo, & ab omni animæ & corporis periculo. Custodi me pie Deus hodie & quotidie à subitanea & improuisa mala morte. Custodi me omnipotens Deus in æternum à gehennalibus pænis, & inferni intolerabilibus. Deus clemens da mihi hodie & quotidie rectum sensum & intellectum, cogitandi & agendi quæ tibi placent, & quæ tibi displicent fugiendi & vitandi, ita vt nunquam à gloria tua excludar, Deus misericors, Deus pie, Deus clemens, cuius miserationis sunt super omnia opera tua, propter sancta vulnera tua, & propter amarā mortem tuam, Da mihi mortem bonam & sanctam, Da mihi mori morte iustorum, & da, vt nunquam moriar, nisi tibi perfecte placeam, & cum perceptione sanctissimi corporis & sanguinis tui, ita vt fide recta, spe firma, læte ad te transire merear, A M E N.

P R E C A T I O C V B I -
tum euntis.

OMNIPOTENS sempiterne Deus, tibi gratias ago, quod me hac die ex tua gratia custodire dignatus es, te precor, vt quicquid hac die cogitando, loquendo, operando

rando, videndo, fallente carne, Mundo & Diabolo peccaui, per passionem & crucē tuā mihi clementer indulgere, & ab omni animæ & corporis periculo me custodire digneris, vt incolumis ad laudandum nomen tuæ Maiestatis exurgam, & tibi cū bona voluntate, puro corde, & casto corpore, cum vera lætitia & gratiarū actione seruire valeam. Accende in me ignem tuæ charitatis & timoris, & concede mihi feruentem emendationē totius vitæ meæ, & concedas mihi venturā noctē, mundo corde & corpore sic pertransire, vt mane surgens gratum tibi valeā obsequium seruitutis exhibere. Illumina tenebras nostras, & totius huius noctis insidias tu à nobis repelle propitius, per Dominū nostrū Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omni secula seculorum, A M E N.

H Y M N V S.

CH R I S T E qui lux es & dies
 Noctis tenebras detegis,
 Lucisq; lumen crederis,
 Lumen beatum prædicans.
 Precamur sancte Domine:
 Defende nos in hac nocte.

Sit

Sit nobis in te requies,
 Quietam noctem tribue.

Ne grauis somnus irruat,
 Nec hostis nos surripiat,
 Nec caro illi consentiens,
 Nos tibi reos statuatur.

Oculi somnum capiant,
 Cor ad te semper vigilet,
 Dexteram tuam protegat
 Famulos qui te diligunt.

Defensor noster aspice,
 Insidiantes reprime,
 Guberna tuos famulos,
 Quos sanguine mercatus es.

Memento nostri Domine,
 In graui isto corpore,
 Qui es defensor animæ,
 Adesto nobis Domine:

Deo patri sit gloria,
 Eiusq; soli Filio,
 Cum spiritu paraclete,
 In sempiterna secula.

A M E N.

F O R M V L A E P R E-
 C A N D I, P R A N D E N T I-
 um & cœnantium.

B E N E-

B E N E D I C T I O M E N S A E
Chryfosto. ad populum Antio-
chen. Homi. 58.

BE N E D I C T V S D E V S qui pascis
me à iuuentute mea, qui das escam
omni carni, imple gaudio & lætitia corda
nostra, vt omnem sufficientiam habentes,
abundemus in omne opus bonũ in Chri-
sto Iesu Domino nostro, cum quo tibi glo-
ria, honor, & imperium cum sancto Spi-
ritu in secula, A M E N.

G R A T I A R V M A C T I O.

GL O R I A tibi Domine, Gloria tibi
sancte, Gloria tibi Rex, quoniam de-
disti nobis cibos in lætitiã, imple nos spiri-
tu sancto, vt inueniamur in conspectu tuo
beneplacētes, nō erubescētes, quãdo red-
des vnicuiq; secundũ opera sua, A M E N.

B E N E D I C T I O.

OC V L I omnium in te sperant Domi-
ne, & tu das escam illorum in tempore
opportuno, aperis tu manum tuam, & im-
ples omne animal benedictione. Domine
Deus pater cœlestis benedic nos, & hæc
dona tua, quæ de tua largitate sumimus,
per Christum Dominũ nostrum, A M E N.

G R A-

GRATIARVM ACTIO.

CONFITEMINI Domino quoniam bonus, quoniam in æternū misericordia eius, qui dat escam omni carni, qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum, non in fortitudine equi voluntatem habebit, neq; in tibijs viri beneplacitum erit ei, beneplacitū est Domino super timētes eum, in eis qui sperant super misericordia eius.

GRATIAs agimus tibi Domine Deus pater, per **I**ESVM **C**HRIStVM Dominum nostrum, pro vniuersis beneficijs tuis, qui viuis & regnas in secula seculorum, **A**MEN.

BENEDICTIO MENSÆ.

QVICQVId appositum est, & quicquid apponetur, felix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit vniuersa, **A**MEN.

ALIA.

EXHILARATOR omnium Christe, & sine quo nihil vere suaue est, oramus vt huic nostro interesse cōuiuio digneris, tua que præsentia exhilarare animos nostros, teq; omnibus & patinis & poculis miscere, vt nihil te non sapiat, illabarisq; animis nostris, **A**MEN.

GRAT

GRATIARVM ACTIO.

GRATIAs agimus tibi pater cœlestis,
 qui tua ineffabili potentia condidisti
 omnia, tua inscrutabili sapientia gubernas
 vniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta
 pascis ac vegetas, largire filijs tuis, vt ali-
 quando tecum bibant in regno tuo nectar
 illud immortalitatis, quod promisisti ac
 præparasti vere diligentibus te, per Iesum
 Christum. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

His epulis donisq₃ tuis benedicito Christe,
 Vt foueant iussu corpora fessa tuo.

Non alit in fragili panis modo corpore vitam,
 Sermo tuus vitæ tempora longa facit.

GRATIARVM ACTIO.

Postquam epulis exēta fames, mensæq₃ remo
 Dicemus grates nos tibi summe Pater (tæ,
 Non hæc humanas vires alimenta iuuabunt,
 Diuina si non hæc foueantur ope.

Namq₃ tuo viuunt agitata à numine cuncta
 Afflatu spirant, cuncta valentq₃ tuo,

Cūq₃ epulas dederis, rerū Pater optime nobis,
 Adde epulis vires pro bonitate tua.

Nunc etiam gratis animis alimenta ministra,
 Atq₃ immortalis pectora pasce cibo,

Et quia cura sumus tua nos Pater optime ser-
 Et studia & vitæ tempora cuncta rege. (ua,

IN-

INDEX PRECATIONVM
 OMNIVM, QVÆ IN HOC
 Libro continentur.

I. De S. Trinitate.	1.	beratiōe ex cruce.	204.
II. De Patre	17.	XII. Sub persecutione	
III. De Filio Dei.	36.	contra inimicos & ho-	
IIII. De Spiritu san.	56.	stes	206.
V. De natiuitate Chri-		Item precatio pro libera-	
sti.	64.	tione de manu inimico-	
VI. De passione Chri-		rum.	207.
sti.	84.	Item gratiarum actio, pro	
VII. De Resurrectione		liberatione ex manu ho-	
& Ascensione in cœlum		stium.	210.
filiij Dei uiuentis.	122.	XIII. Contra Tyranni-	
VIII De Pœnitentia	137.	dem & insidias Satha-	
Item pro remissione pec-		næ.	212.
catorum.	157.	XIII. Gratiarum actio	
Item Gratiarū actio, pro		pro beneficijs & corpo-	
consecuta remissione		ralib. & spiritualib.	220.
peccatorum.	163.	XV. Sub periculoso mor-	
IX. Precationes accen-		bo & agone mortis	230.
dentium ad sacram Sy-		XVI. Pro vita æterna	
naxin.	165.		148.
Item gratiarum actio post		XVII. Precatio mane	
Communionem	174.	surgentium.	251.
X. Pro nouitate Vitæ.		Item precatōes cubitū	
	183.	euntium.	257.
XI. Sub cruce & affli-		XVIII. Benedictio men-	
ctione.	195.	ſæ, Et gratiarum actio.	
Item Gratiarū actio pro li-			260.

L I P S I Æ.

Imprimebat Andreas Schneider

TYPIS VOEGELIANIS.

Anno

M. D. LXXV.



INDEX RELECTATIONVM
OMNIVM QVAE IN HOC
LIBRO CONTINENTVR

I. De Trinitate	1
II. De Personis	11
III. De Libris	16
IV. De Spiritibus	21
V. De Virtutibus	26
VI. De Passione Christi	31
VII. De Resurrectione	36
VIII. De Ascensione	41
IX. De Pentecostea	46
X. De Sacramento	51
XI. De Sacramento	56
XII. De Sacramento	61
XIII. De Sacramento	66
XIV. De Sacramento	71
XV. De Sacramento	76
XVI. De Sacramento	81
XVII. De Sacramento	86
XVIII. De Sacramento	91
XIX. De Sacramento	96
XX. De Sacramento	101
XXI. De Sacramento	106
XXII. De Sacramento	111
XXIII. De Sacramento	116
XXIV. De Sacramento	121
XXV. De Sacramento	126
XXVI. De Sacramento	131
XXVII. De Sacramento	136
XXVIII. De Sacramento	141
XXIX. De Sacramento	146
XXX. De Sacramento	151

L I P S I A
Imprimetur Andreas Schneider
T Y P I S V O N G E L I A N I S
Anno

D. I X V .



Venerande Domine oro
te per Christum. Ut confi-
tentem me peccata mea audias
et absolutionem eorum mihi
annuncies.

Ego libere confiteor me miserum
esse peccatorem et ingenti deli-
ctorum mole oppressum. Non
enim inhaerens tantum pecca-
tum in me sentio. Sed & iam
Video, me multipliciter man-
data Dei violasse et DEUM
grauiter offendisse, meque reum
esse aeternae irae et damna-
tionis. Verum cum DEVS iure
iurando affirmauerit, se noile

mortem peccatoris, sed ut con-
uerfatur & uiuat, Atq; etiam
Christus humani generis ro-
demur absolucendi a peccatis
potestatem apostolis, & Ecclē:
sua miseris dederit, Et
ego ad tuam dignitatem
Christi loca constitutam,
Venio & prostratus de-
licitorum meorum remissio-
nem & perferriē consi-
entia consolationem peto,
Proiecto enim me in pos-
sum fore cautiorem, &
non solum peccata, sed et hā
occasions peccatorum, ui-
tium, & Deo in iust.
tia & sanctitate seruiturum
omnibus diebus vite meae.

Die fere Wergib all Wuse sigilet,
 nicht das wir wartten nicht gedulet.
 Die Wuse Trindtlin Kommt heron,
 Das Wuse glaubt das werden sin,
 Dem erort zu traumen ~~flig~~
 Die wir Endtschaffen Voligler.


O M & M


~~Handwritten scribble~~

 42 $\frac{8}{10}$
 X2198043

AB 42 $\frac{8}{1,10}$

Mc-742m





PRECATIONES
EX VETERI-
BVS ORTHODOXIS

DOCTORIBVS:
EX ECCLESIAE HYMNIS
ET CANTICIS:
EX PSALMIS DENIQ; DA-
VIDIS COLLECTÆ:

Et nunc recens recognitæ & auctæ,
per
Andream Musculum D.



LIPSIAE A N. M. D. LXXV.

*Diese Ausgabe ist eine Titulerausgabe von 1573.
Javans Universitätsbibliothek. Th. XXVIII. o. 206.*